



Ad Iesuitarum assertiones, ex Epistola priori Diui Pauli ad Timotheum, in Schola Dilingana disputatas, quibus totum Papatum stabilire conati sunt, pia responsio.


<https://hdl.handle.net/1874/427733>

2

A D I E S V J T A.
R V M A S S E R T I O N E S , E X
E P I S T O L A P R I O R I D I V I P A V-
L ad Timotheum; in Schola Dilingana disputatas,
quibus totum Papatum stabilire co-
nati sunt, pia responsio.

A U T O R I B V S

D. VVilhelmo Bidenbacchio, & D. Lu-
ca Osiandro Theologiæ Docto-
ribus, &c.




T U B I N G A E , M . D . L X V I .

А Т И В З Е Д А
Х И Г З И О Г Г Л А С С А М У Л
—У А Т И В И С П О Д А Л О Г Г И С
Г З И О Г Г И С П О Д А Л О Г Г И С
С О С С И С П О Д А Л О Г Г И С
С О С С И С П О Д А Л О Г Г И С

З У Г Л О Т У А

А. С. Ф. о и м д а н и й с и с с и л и в . С. С.
з о в о с т и с и с с и л и й с и с с и л и в . С. С.



Л И Л . С . М . Г . С . И . С .

Ioannes Brentius pio Le-
ctori S. D.

VM David munitissi-
mam arcem Iebusitarum
obsideret, collocarunt illi
in muro clados & cæ-
cos, quibus freti, de ex-
pugnatione arcis, erant securissimi. Ita
cum hodie Jesuitæ deletorum Cananæo-
rum, hoc est Monachorum & Sacrifi-
ciorum reliquæ, armis sacrarum Scri-
pturarum oppugnantur, isti clauda & cæ-
ca veteris Idolomaniæ Sophismata, iam-
dudū eneruata, cōuicta, confusa, explosa et
intalparum cauernas abiecta in acie pro-
ducunt. Etsi autem tam imbellis discin-
itorum & inermium militum turba ri-
deri potius debebat, quam oppugnari, ta-
men, quia Jesuitæ, vel ipso Goliathe,
A ij quamuis

quàmuis toties refutati, securiores, agmisi-
nibus Dei viuentis adhuc exprobrare et
sanctum Israel blasphemare nō verentur,
hoc impunè ipsis licere non debet. Itaq;
non displicet mihi, DD. Vilhelmi Bi-
denbacchij, & Lucæ Osiandri, meorum
in Ecclesia Studtgardiana collegarum
conatus, qui pio studio pro veritate et per-
spicuitate doctrinæ Apostolicæ, quæ in
priori ad Timotheum Epistola traditur,
contra impias tenebras Jesuitarum pro-
pugnant. Nec dubito, quin Christus Ie-
sus, quem, qui illius nomine gloriantur,
Iesuitæ, neq; norūt neq; colunt, hanc ope-
ram, Ecclesiæ suæ præstitam, clementer
sit approbaturus, & gloriam nominis
sui contra omnes omniū impiorū
blasphemias defensurus in
sempiterna secula,

Amen.

Præfa-

Præfatio.

ÆDITÆ SVNT A IESVITIS,
nouo hypocritarum genere, assertio-
nes in noua Diligenſium Academia ad di-
ſputandum propositæ. Quas ut ex totius anni
prælectionibus ſelegerunt, ita totius doctri-
næ Pontificiæ (quam Paulus hypocriticam ^{1. Tim. 4.}
& dēmoniacā appellat) ſumma capita paucis
pagellis voluēre compleſti. Multos autem
bonos viros ſcholasticæ iuuentutis miseret,
quę ſub iſtis Magistris ita proficit, vt quod in-
tegro anno didicit, id per totam vitam ei ſit
dediſcendum : atq; ſic neceſſariò temporis
ſit iaectura facienda, niſi animæ velint & ſa-
lutis facere. Miferum eſt, ſemper diſcentem
nunquam peruenire ad cognitionem verita-
tis: ſed multò miferius & miferandū magis,
ſemper diſcentē indies magis magisq; à veri-
tate aberrare, et mendacijs inuolui, et in vor-
ticem impietatis , ac , qui hanc ſubſequitur,
æterni interitus gurgitem abripi: quanquam
iusto Dei iudicio fit, vt per omnem deceptio- ^{2. Thessal. 1.}
nem iniuſtitiæ pereant, qui dilectionem ve-

A iij ritatis

titatis nolunt recipere in hoc ut salui fiant.
Nam propterea mittit illis Deus efficaciam
erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur
omnes, qui nō crediderunt veritati, sed ad-
probauerunt iniustitiam. Veruntamen cum
mihi quidem dubium non sit, aliquos qui in
scholis Dilinganis versantur adolescentes, nō
tām malitia voluntatis, quām hallucinatio-
ne mētis, hoc est, delectu magis quām affectu
errare, & Iesuitarum dogmatibus propter iu-
dicij imbecillitatem & ^{in pietate} assentiri, non
malē locatam operam crediderim, si quis
vel vnam animulam ab exitiali errore libe-
ret, ipsisq; orci fauibus, ut Pastor auriculam
Iac. 5. quis è rictu Leonis, eripiat. Huc accedit,
Amos. 3. quòd ipsa D. Pauli ad Timotheum Epistola
prior, è qua Theses suas emendicarunt Iesui-
tæ, hoc à nobis officium exigere videtur: vt
ipsam ab impiorum hominum iniuria, à
falsiorum corruptelis, à prædonum direc-
tionibus & sacrilegijs defendamus: imò ve-
rò quia ipsa se suo robore suaq; simplici &
constantि veritate satis fortiter defendit, tan-
tum irritos conatus hostiū fuisse indicemus,

&

& fulgorem veritatis, depulsa errorum ca-
ligine, clarius emicantem ac longe lateq; re-
splendentem, omnibus qui non sponte cæ-
cutiunt, monstremus. Vide obsecro Christia-
ne Lector, quām multa indignè & sceleratè
in hanc sanctissimam electi vasis Epistolam
comäiserint Iesuite.

Primū, vbi argumentum Epistole reci-
tant, ne minimā quidem Christi & bene-
ficiorum eius mentionem faciunt: cùm tā-
men in primo statim capite luculento Legis
& Euangelij discrimine exposito, Christi gra-
tia ita commendetur, vt vix alibi excellen-
tius: & ex hoc fonte reliqua omnia huius E-
pistolæ monita & præcepta promanant: ne
quis, ut Iesuitæ, hanc Epistolam tantùm pro
libro Cæremoniarum & Pontificali Eccle-
siæ habeat.

Deinde, cùm è certis quibusdam huius
Epistolæ Pericopis Theses corrogant, totam
Epistolam, qua vix alia(nam eam quę ad Ro-
manos scripta est, semper excipio) decentiori
ordine & aptiore Methodo conscripta est,
itā discerpunt & lacerant, ut in fabulis Mæ-
nades

nades, Orphei corpus non crudelius laniasse,
& in historijs filium Nahas Ammonitarum
regem Legatos Dauidis non foedius defor-
masserunt, quām hæc Epistola à Iesuitis
laniata et deformata cōspicitur. Nunc enim
è medio continuæ orationis corpore mem-
brum, yt ineptus futor è medio corio lorum,
execant: nunc quæ indiuulsi inter se cohære-
re debebant, diuellunt: nunc quæ diuulseré,
frustilatim concidunt & comminuunt: ali-
bi, quæ separari distinguiq; debebant, com-
miscent, vt mali coqui iura confundunt.

Iam cùm ad excerptarum ^{περικοπῶν} interpre-
tationē ventum est, Deus bone, quām om-
nia, aut certè plæraq; cùm à seipsis, tūm à ve-
ritate dissentiant? Vix quicq; ad veritatem
syncerè, aut ad rem de qua agitur, appositiè &
consentaneè dicitur. Plerunq; pro vna vera
& germana sententia duas falsas aut à propo-
sito alienas adferunt: cum res benè cadit, v-
nam veram, alteram falsam, vnam aptam,
alteram à toto scopo aberrantem adducunt,
aut crinibus attrahunt, hoc est, per vim in-
trudunt.. Hinc toties in istis male consutis
thesibus

thesibus has disiunctivas & conditionales
particulas inuenies. Vel sic (inquiunt) vel ut a-
lij: vel hoc intelligitur, vel illud: si sic acci-
piamus, si in ita intelligatur: siue hoc modo,
siue quod magis est consentaneum. Et has
permissiuas ac dubitatiwas loquutiones: In-
telligi potest (inquiunt) in hunc sensum, po-
test & sic accipi: hunc sensum pleriq; Patres
adprobant, vel dicere cum alijs possumus: si
hanc lectionem sequamur, si vero com-
munior lectio retineatur, &c. Et illud Ari-
stotelicum, in philosophia quidem non im-
probatum, sed in Theologia vituperabile
~~est~~, videtur, hoc præcipere, illud probabilius
videtur, &c. An non pie Lector, hec satis ma-
gno documento sunt, istos homines spiritu
vertiginis rotari & circumagi? & impleri in
eis maledictionem legis, quæ per Mosen im-
pijs denunciatur: Percutiet (inquit) te Domi-
nus amentia & cæcitate ac furore mentis, vt
palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus
in tenebris, & non dirigas vias tuas? Ita est
profecitò, quorum animi nulla fidei certitu-
dine seu ~~in~~ instructi & muniti sunt, eo-

Deut. 28,

rum quoq; interpretationes scripturarum ; solidæ, certæ, constantes & concinnæ esse ne- queunt, sed ambiguæ, vagæ, instabiles & dis- sentaneæ vbiq; fluctuant, vacillant, disso- nant, & quod ille de oraculis Delphicis dice- bant ~~in auctoritate~~, hoc est, in vtranq; partem claudicant : sicq; lectorem multò incertio- rem dimittunt quām acceperunt. Vsq; adeò labra lactucis conueniunt, vt in schola dubi- tationis, & doctrina, & fides, & res, & verba, & sensa, & deniq; omnia sint dubia, perplexa & ad desperationem accommodata.

Porrò nec illud prætereundum est artifi- cium, apud Papistas quidem non nouum, sed à Iesuitis tamē callidius usurpatum, quod ad margines suarum Positionum , non scri- pturarum modò testimonia, sed sexcentas etiam Patrum authoritates allinunt, vt im- perito Lectori fucum faciant, qui à partibus ipsorum cùm totius sacræ scripturæ cœlestia oracula, tūm venerandę vetustatis suffragia stare opinetur. Et de sacrarum quidē litera- rum testimentijs suo loco, vbi opus erit, sigil- latim à nobis dicetur. De scriptorum autem Ecclesia-

Ecclesiasticorum, quos propter antiquitatē Patres vocant, allegationibus, hoc iam generatim præfabimur.

Primum Iesuitæ hoc sibi permiserunt, ut etiam in his locis, in quibus nulla est inter nos & ipsos controuersia, ingentē aceruum allegationum ex Patribus congererent: quò nobis inuidiam facerent, quasi ea etiam in dubium reuocaremus, quæ nullus sanæ mentis homo negaret. Ut vnum è multis profiramus exemplum: cùm docent Christi Ecclesiam ab ipso Christo autoritatem habere excommunicandi publicè sceleratos, si contumaciā sceleribus addant, duodecim Patres & quatuor Concilia citant. Quasi verò res operosa pbatio indigeret, aut quis inter nos stros vnq; extitisset, qui hoc negasset: sed hæc numerum complent, ne quid in charta vacuum remaneat.

Deinde multa loca citant è Patribus, quæ, si quis penitus introspiciat, ad rem prorsus nihil faciunt, ad quam confirmandam adhibentur: nec magis ad institutum quadrant, quam baculus ad angulum. Ut cùm mortuo-

B ij rum

rum sanctorum intercessionem & patroci-
nium adstruere volunt, sex Patres citant, qui
Christum propterea vnum Mediatorē Dei
& hominum dici scribunt, quod solus ipse
nos omnes redemerit. Quasi verò necessariò
consequatur, cum Christus solus nos rede-
merit, sanctos, qui nos non redemerint, pro
nobis intercedere? Quid, quod ibidē octua-
gesimam tertiam hæresin ex Epiphanio ci-
tant, cum in vniuersum octoginta tantum
hæreses descripserit?

Thef. 2. cap. 2.

Sed esto, rectè omnia, & conuenienter &
bona fide allegarint ex Patribus, (etsi con-
trarium infrà aliquoties demonstrabimus)

August. ad Hies nos tamen cum Augustino solis eis scriptu-
riony. Epist. 19. rarum libris, qui iam Canonici adpellantur,
didicimus hunc timorem, honoremq; defer-
re, ut nullum eorum authorem scribendo
errasse firmissimè credamus. At si in eis of-
fenderimus literis, quod videatur contrariū
veritati, nihil aliud, quam vel mendosum es-
se codicem, vel interpretem non assēcutum
esse quod dictum est, vel nos minimè intel-
lexisse non ambigamus. Alios autem ita legi-
mus

mus, ut quantalibet sanctitate doctrinaq;
præpolleant, non ideo verum putemus, quia
ipsi ita senserint, sed quia nobis vel per illos
authores Canonicos, vel probabili ratione,
quod à vero non abhorreat, persuadere po-
tuerūt. Neq; enim (ut idē alibi ait) quorumli-
bet disputationes, quamvis catholicorum &
Idem ad Fortu-
nat. Epist. 198.
laudatorum hominum, velut scripturas Ca-
nonicas habere debemus, ut nobis non lice-
at salua honorificentia, quæ illis debetur ho-
minibus, aliquid in eorum scriptis improba-
re atq; respuere, si fortè inuenierimus quod
aliter senserint, quam veritas habet diuino
adiutorio vel ab alijs intellecta, vel à nobis.
Talem ille se esse profitetur in scriptis alio-
rum, tales vult esse intellectores suorū. Quid
est igitur, cur plus Augustino tribuamus,
quam ipse sibi tribui velit? num sic de autho-
ritate sanctorum virorum detrahimus? si
homines fuisse dicamus, qui ut falli, ita alios
quoq; fallere potuerint? num propterea ma-
gna Ecclesiæ lumina fuisse Hieronymum,
Ambrosium, Chrysostomum, vel alios eius
notæ scriptores, inficiamur, quia eos quædā

B iij vel

vel parūm disertē scripsisse, vel non satis con-
stanter sensisse existemus? At hi ipsi sese non
iudicarunt *ἀναγράφειον*: & vt iudicassent, sese ipsi
decepissent. Sit hoc ergo extra controuersi-
am: Primūm solis Biblijs tantūm esse tribu-
endum, vt ea sola omnis erroris expertia esse
credamus. Deinde alijs Scriptoribus, quan-
tumuis doctrina & vītē sanctitate claris, tan-
tum esse assentiendum, quantū illi sacrarum
literarum testimonij probare queant. Pro-
phetę enim, Apostoli & Euangelię, cūm nō
ā se dicant aut. scribant, sed spiritus cœlestis
instinctu, ab omni errore vacui atq; integri
sunt: reliqui scriptores, cūm plurima quidē
ē spiritu, quædam tamē etiam ē carnis sensu
& ingenio scribant, nonnunq; exorbitant.
Illorum diuinās visiones, sanctificationes, ab
vtero vocationes, in Euangelion segregatio-
nes, nominatiū in sanctis scripturis legun-
tur, authoritateq; testimonij diuini cōfirman-
tur: horum vocationes tam illustria testimo-
nia nō habent. Itaq; speramus nobis apud pi-
um lectorem non fore fraudi, si nō ad singu-
la singulorum Patrum dicta singulatim re-
sponderimus.

sponderimus. Facilè enim nos Augustini exemplū tuebitur, qui in cōtrouersia, quācum Hieronymo de Petri simulatione habuit, cūm authoritatibus clarorum virorum premeretur, nec ipse tot authoritates opponere posset, ad Paulum tandem configit, quē sibi instar omnium, imò supra omnes esse statuit. Quid multis? scripturis vtamur tanq; Iudicibus: Patribus tanq; Consiliarijs: qui si recte consulant, cum gratitudine ijs vtamur: sin minus recte, sine cōtumelia nobis à sententia eorū discedere liceat, et id iter ingredi, quod propter verbi diuini prēeuentem lucem, expeditius, & propter veritatē illius, cuius sermo veritas est, tutius esse deprehenditur. Iam igitur, quod Deus benè vertat, rem ipsam aggrediamur, & vt ex Antithesi & collatione sententiarū clarius clucescat veritas, primū ipsa Iesuitarū verba ponemus: deinde nostrā responsionē, refutationis loco subijciemus,
vt pius Lector videat, à nobis candidē
omnia & ex fide agi. Sic igitur Di-
lingensis libelli habet Præ-
fatio.

Iesuitæ:

I E S V I T Æ.

THESES THEOLO-
GICÆ, EX PRIORI EPI-
stola diui Pauli ad Ti-
motheum.

Irenæus lib. 1. ca. 26. Legimus apud Irenæum & Eusebium Pamphilum, olim
 Euseb. Eccle. ab Hebione, Seuero, & Tariano, Epistolas omnes Apostoli
 hist. lib. 4. ca. 26. Pauli, tanquam non sacras, fuisse reiectas: à quibusdam vero
 & lib. 6. ca. 27. neueram earum, quæ ad Timotheum mittuntur, fuisse inter
 Cle. 2. Strom. scripturas sacras admissam, Clemens Alexandrinus memoria
 prodidit: Nobis tamen adeò est Ecclesiæ testimonium ratum
 & sanctum, quæ quatuordecim Apostoli huius Epistolas in
 Canonicorum librorum Catalogo reposuit, ut obstinate contradicentes,
 temerarios planè homines, ac Hæreticos esse non
 dubitemus.

R E S P O N S I O.

QVÆ de hæreticis, vel omnes Epistolas
 Pauli, vel vtrancq; ad Timotheum scriptam
 repudiantib; proferunt, nihil ad nos attinent, qui
 Pauli Epistolas sanctiores habemus, & firmius am-
 plectimur, & per Dei gratiam clarius intelligimus,
 ex ijsq; nostram doctrinam verè piam validius con-
 firmamus, quam Iesuite & omnes Sacrificuli ac Mos-
 nachi

nachi velint. Non enim ignotum est, hisce extremis temporibus, restorationem piaæ doctrinæ, quam Lutheranam vocant, potissimum ex Paulinarum Epistolarum ductu & præscripto factam esse: quod beneficium Dei apud nos publicè solenni cantilenæ etiam à pueris celebratur. Contrà verò non obscurum est, quid multi è grege Pontificiorum de Apostolo Paulo iudicent: & quām ægrè isti colluviei faciant, quæ ex istius scriptis depromuntur. Ante paucos annos Papista quidam magni nominis & dignitate præstans ad quendam propter Euangelij professionem captiuum aiebat: Duos tantum esse Euangelistas, Matthæum & Ioannem: reliquos e^s Sleidan, lib. 25, nim duos, & Paulum etiam, veluti Centones quosdam consuisse: quod nisi Ecclesiæ Doctores eam Paulo tribuerent authoritatem, se non pluris factus runi eius Epistolas quām Æsopi fabellas, cumq; captiuus inuicem diceret, de Pauli vocatione atq; munere præclara existere testimonia, præsertim in eius Epistolæ, quam scripsit ad Galatas, capite primo: Nihil (Inquit ille) ad rem istud facit: nam si b*i* testimonium ipse dicit. Hæc historia testem habet scriptorem publicum, & fide dignum. Itaq; nihil opus erat, Jesuitas nobis hæreticorum rejectamenta oggarrire, cum quibus nobis nihil est negotij. Sibi ac suis ista canant, vt de Pauli scriptis honos rificentius sentire discant, ne in eundem catalogum relati, eodem loco & numero habeantur, quo Hebion, Seuerus, & Tatianus ab Ecclesia habentur. Sed bene se res habet de Jesuitis, qui ne pauciores Epistolas Pauli numerent, potius plures ei ad-

C. scribunt.

scribunt, quām veris & indubitatis argumētis demonstrare possunt ei competere. Cum enim certo certis constet, tredecim vere & ~~rwā~~^{rwā} Paulinas esse Epistolas, isti quatuordecim ē vulgato Canonico-
rum librorum Catalogo numerant, eam videlicet,

Euseb. Eccles.
Hist. lib. 6. ca. 25.

quæ ad Hebræos est, addentes : de qua tamen & olim variè iudicatum fuit & hodie. Origenes sanè vetustissimus scriptor, eam propter phrasim & compositionem dictionis admodum Græcam, alterius cuiuspiam esse iudicat, qui dicta Apostolica anno-
tarit, & velut in scholia quædam, quæ à Præcepto-
re audiuit, redegerit. Et huic Epistolæ à Romana

Euseb. hist. Eccel.
lib. 3. ca. 3.
Hierony. in
Efa. cap. 8.
Platina in vita
Petri.

Ecclesia, quasi Pauli non sit, contradictum esse, ac inter Canonicas scripturas non receptam, præter Eusebium, etiam Hieronymus & Platina clare tes-
tantur: Fuere qui eam Lucæ, alij qui Barnabæ, alij qui Clementi adscriberent. Ac profecto si quis sty-
lum huius Epistolæ, & ipsam docendi rationem

Heb. 2.

consideret, fatebitur quidem eam utilissimam esse,
& excellenter pio ac docto Apostolorum discipulo dignissimam : sed à Paulo Apostolo minime scrips-
tam, vel hoc solo inuicto Argumento conuincen-
te, quod Author scribit, se ex prædicatione aliorum Euangelion Christi didicisse : id quod ad Galatas de se fortiter negat Paulus. Taceo iam duriores quosdam locos, & Pauli spiritu non satis dignos, propter quos valde serò à latinis Ecclesijs receptam fuisse constat. Quamobrem non tantum impruden-
ter faciunt Jesuitæ, qui eam inter germanas Pauli Epistolas numerant, verum etiam eo crimine se ob-
stringunt, cuius damnant alios, temeritatis nimis-

Gal. 1.

rum;

rum, dum à se dissidentes temerarios planè homines achaereticos esse proclamant. Nam si Iesuitæ obstinate hanc Epistolam Paulo tribuere perrexerint, magis temerarij & Hæretici erunt, quam ij qui hanc (de cæteris enim nemo Christianoru[m] dicitur) Pauli propriam esse constanter negant. His quidem supersedere potuissemus, si suos Anathematissimos sibi ipsis reseruassent, aut certè prudentius promulgassent Magistri nostri, de societate Iesu, si Dijs placet. Iam quale prioris ad Timotheum Epistolæ Argumentum ab ipsis constituantur, videamus.

I E S V I T Æ .

Admonet autem Apostolus hac Epistola Thimotheum, ut se suamq[ue] plebem, aduersus Hæreses tunc præsentes, Simonias norum & Iudaizantium, & futuras alias, munit, ut in eligendis Presbiteris, Diaconis, & Videlius, magnam cautionem adhibeat: ut deniq[ue] lectioni, orationi, & virtutum studio intentus, omnia Episcopi munera, sedulo & cautele perficiat.

R E S P O N S I O .

VBI h[ic], vt suprà etiam attigimus, fit Christi mentio: vbi Euangelijs: vbi gratia Dei: vbi fidei: vbi iustificationis: vbi aliorum præcipuorum locorum Doctrinæ Christianæ: quos extare maxime in Ecclesia prodest, & inculcati hominibus, quosq[ue] in hac Epistola Paulus non tantum non omisit, sed ijs etiam, quæ à Iesuitis h[ic] recensentur, præ-

C. h[ic] misit.

misiit. Sed isti homines Christum in scripturis ut nō
quærunt, ita nec inueniunt. Satis est ipsis, si Episcopos,
si Presbyteros, si Diaconos, si viduas inueniant.
Nos autem, cūm in tota scriptura, tūm in hac etiam
Epistola potissimum quærimus & inuenimus, Des-
um manifestatū in carne, iustificatum in spiritu, vis-
sum Angelis, prædicatum gentibus, creditum in
mundo, receptum in gloria. Et videmus Paulum
suo more & hīc & ubiqꝫ primum de vera in Chris-
tum fide, postea de fidei fructibus, per varia voca-
tionum seu officiorum genera dissērere. Quod dis-
scrimen quia Iesuitæ non vident, nihil vident. Sed
placet tamē, quòd hanc Epistolam contra Simonia-
nos & Iudaizantes scriptam esse dicunt: sic enim
suo se indicio produnt, quòd & cōtra Papistas scri-
pta sit, qui & Simonizant & Iudaizant: Et per
e v t v r a s Hæreses, quānam nisi Papistarum
potissimum Hæreses intelligere possunt: de quibus
quarto huius Epistolæ capite tam illustre extat
vaticinum, ut nullo penicillo acuratius pingi, nulla
hypotyposi clarius effingi & ob oculos ponи Papa-
tus potuerit.

I E S V I T A E.

E X P R I M O C A P .

*Vt denunciaret quibusdam ne aliter
docerent.*

I Mansurus erat Ephes. Timotheus, ut cum potestate præ-
ciperebat quibusdam, ut inquisidetur, hoc est, ut Ambrosius
& Chry-

& Chrysostomus cum reliquis exponunt) ne aliam inducerent Amb. & Chrys.
doctrinam, ab ea quam Apostoli tradiderant. Et^c autem alia in hanc Epist.
doctrina, secundum Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Chry- August. tractatu
sostomiq; sententiam, quæ cum Apostolica vel aperiè vel ob- 98. in Ioan. Res
scure pugnat. Apostolica verò est, primū, quæ sacris vo- liquit in Epist.
luminibus continetur, & quæ ex illis necessariò colligitur: de- ad Galat. ca. i.
inde quæ ab omnibus simul recipitur Ecclesijs: tum, quæ à
sanctis Patribus, ordine sibi succedentibus magno consensu,
iam inde ab initio tradita es, deniq; quæ in Concilijs generaz
ibus legit mis proposita est omnibus ad credendum. Qui
autem ab his discedunt, sui capitis fragmenta docent.

RESPONSI.

QVID sit ~~in~~ ^{reprobatur}, seu aliam doctrinam
inducere, nenio nobis ipso Paulo melius ex-
ponere poterit, qui ad Galatas sic scribit: Et si nos
aut Angelus è cœlo prædicauerit vobis Euange-
lion, præter id quod prædicauimus vobis, anathema
ma sit. Quemadmodum antè diximus, & nunc ite-
rum dico: Si quis vobis prædicauerit Euangelion,
præter id quod accepistis, anathema sit. Euangeli-
on autem Pauli ad Galatas, vt & aliorum Aposto-
lorum ad alias Gentes, et Timothei ad Ephesios, hoc
fuit: Hominem peccatorem coram Deo nullis suo-
rum operum meritis, sed sola Dei Gratia, propter
solum Christum, sola fide adprehensum, iustificari,
hoc est, à peccatis absolui. Itaq; hoc loco ~~in~~ ^{reprobatur}
~~as~~, aliud vel aliter docere, propriè significat, no-
stram, non Christi, nostrorum meritorum, nō diuis-
næ gratiæ, nostrorum operum, non fidei iustitiam

C iii docere

docere & adstruere: id quod Pseudoapostoli Iudaizantes faciebant, aduersus quos præmoneri & præmuniri à Paulo Timotheum ipsimet Iesuitæ fatentur. Cum igitur Papistæ (sub quibus semper Iesuitas etiam complector) in doctrina Iustificationis non obscurè Iudaizent, Pharizaizent, & Pelagianizent, dubium non est, quin inter ~~reprobos & hereticos~~, aliud docentes, & altius Euangeliū prædicantes sint referendi, ac proinde, nisi resipiscant, æterno anathemate feriendi. Nec enim istos iuuabit Iesuitica illa Apostolicæ doctrinæ definitio, cuius cum sint quatuor membra, solum primum verè constituitur: reliqua tria falso affinguntur. Definiunt enim eam primum à sacrorum voluminum vel expressis testimonijs, vel hinc necessario collectis rationibusc: id quod rectè dicitur, modo illas collectiones & consequentias ex scripturis non nimis laxè interpretentur, sed intra hos limites & carceres manent, quos sibi ipsi circundederunt: videlicet, ut collectiones illæ sint ~~ex parte non~~ necessariae, & non tantum probabiles aut verisimiles: & breuiter, ut sint analogæ fidei.

Deinde definiunt Apostolicā doctrinā à communī omnium Ecclesiarum consensu: Quæ ab omnibus (inquiunt) simul recipitur Ecclesijs. Hæc etsi suo quodam sensu, quem, si Iesuitæ boni viri essent, libenter eis tribueremus, non impiè dicantur: tamen cum sequentia duo membra satis manifestè indicent, quæ sit Iesuitarum etiam in hoc membro sententia, non possumus adprobare & recipere. Nam verissimum quidem est, à vera Ecclesia per totum

totum orbem dispersa doctrinam Apostolicam rez
 cipi, & in hoc ouili vocem pastoris Christi ab ouis
 bus audiri, quæ & vocem ipsius sequuntur: & certissimum est, eum qui ex Deo est, verbum Dei audi-
 re: Sed hoc falsissimum est, quod propter hanc re-
 ceptionem seu assensum Ecclesiæ, doctrina sit Apo-
 stolica: non enim assensus Ecclesiæ causa est vel sis-
 gnum doctrinæ Apostolicæ: sed contra, doctrina
 Apostolica signum est & organica causa Ecclesiæ.
 Ouium auditus & sequela (ut sic loquar) non efficie
 vocem pastoris, sed vox Pastoris efficit et mouet au-
 ditum & sequelam ouium. Itaque eti nemo omnium
 hominum doctrinam Apostolicam reciperet, num
 propterea doctrina cessaret esse Apostolica? Absit.
 Neque enim incredulitas hominum fidē Dei facit ir-
 ritam: Si increduli sumus, ille fidelis manet, negare. Rom. 5.
 seipsum non potest. Et haec sane est fortuna doctrinæ
 Apostolicæ, quod eam semper paucissimi in mundo
 receperunt, recipiunt, & recipient: Multi enim vo-
 cati, pauci vero electi. Apud Esayam conquerun-
 tur Apostoli: Domine quis credidit auditui nostro? Ela. 53.
 hoc est, prædicationi nostræ: Quem locum Paulus
 allegans: Non omnes (inquit) obedierunt Eu-
 angelio. Et Paulo dicunt Iudei: De Secta ista no-
 tum est nobis, quod ubique ei contradicitur. Num
 propterea doctrina non erit Apostolica, quia pau-
 ci credunt, pauci obediunt, sed plerique ei contra-
 dicunt? Absit, ut verbum veritatis ab hominum
 assensu aestimemus. Quin potius sit Deus verax,
 omnis autem homo mendax.

Tertio, definiunt Iesuitæ doctrinam Aposto-
 licam

Ioan. 10.
Ioan. 8.

Matth. 20.

Rom. 10.
Act. 28.

Rom. 3.

licam à sanctorum Patrum, ordine sibi inuis-
cem succedentium, consensu & traditione. Sed
qui secundi membris falsitatem cognouit, multò ma-
gis huius vanitatem & ~~invenientiam~~ deprehendet. Quid
enim? num si Patres nunque in doctrinam Apostolica-
m consensissent, nullasque traditiones vel voce vel
scriptis ad posteros transmisissent, propterea perhab-
set doctrina Apostolica? Num si continuæ success-
sionis Pontificum series interrupta esset (vt certè
non semel interrupta est) propterea etiam doctrinæ
Apostolicæ series interrupta fuisset? Quid? quod
luculenter demonstrari potest, & à nostris sapè de-
monstratum est, Patres, nec inter se omnes, nec
vnum semper secum ipsum consensisse, & traditio-
nes Patrum aliquas quidē ex scriptis Apostolicis
desumptas, & cum ipsdem consentientes, alias vero
& multò maxima ex parte ridiculas, aniles, fictas,
falsas & cum doctrina Apostolica è diametro pug-
nantes reperiri. Sed de traditionibus infrà erit co-
piosius dicendi locus, thesi vltima. Ad Patres res-
uertamur. Dico igitur, è patribus proferri posse sens-
tentias contrarias, non tantum variorum inter se,
sed & vnius alicuius, non tantum de certis quibusdam
scripturæ locis, quos aliter atque aliter inter-
pretantur, verum etiam de certis quibusdam dog-
matibus & Religionis nostræ articulis, ac summis
capitibus. Quid igitur faciemus? Num ex eorum
consensu veritatem, & ex dissensione falsitatem
doctrinæ Apostolicæ metiemur? Nequaquam:
sed ad vetustissimorum Patrum, hoc est, Proph-
etarum & Apostolorum consensum recurremus, &
quod

quod in Concilio Milevstano pulchrè à Palentino Episcopo dictum est , priores posterioribus anteferemus. Memorabile est, quod Hieronymus in Epistola ad Theophilum Alexandrinum scribit : Sicut (inquit) interpretationem & Idiomata scripturarum Origeni semper tribui, ita dogmatum constatissimè abstuli veritatem. Nunquid in turbam mitis eto Origenem ? nunquid cæteros tractatores ? Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores : illos semper vera dicere, istos in quibusdam ut homines errare. Itaq; si Iesuitæ nobiscum expostulare voluerint, quod Patres Apostolis nō æquemus, nec in definitionem doctrinæ Apostolicæ Patres ingredi sinamus, prius cum ipsis Patribus , qui hæc sibi ipsis non tribuerunt, expostulent.

Quarto loco in definitionem Apostolicæ doctrinæ admittunt vel potius intrudunt Concilia : quibus, si legitimè à Spiritu sancto in nomine Christi congregentur , magnam quidem autoritatem deferimus, sed tamen, ut ab eorum decretis & constitutionibus Apostolicæ doctrinæ pendeat autoritas, ferre nec possumus nec debemus. Nam quia pauci sunt electi, & non est omnium fides , & spiritus sanctus populum suum in hac vita non facit impeccabile, & in summis hominum ordinibus multi et magni affectus, ambitionis presertim et superbie, imperat, & in Iudicij tum politicis tum Ecclesiastis eis plœrunq; maior pars vincit meliore: idcirco nos lètes volentes fateri cogimur, Concilia non tantum errare posse, verum etiam særissimè errasse, ac non nunq; contraria sibi inuicem & repugnantia sta-

D tuisse,

tuisse, quæ se mutuò euertant atq; perimant. Vnde non inscite olim prudētiores & Theologi & Iuris-
consulti, libros Decretorū, Concordantias Discor-
dantiarum vocarūt. Itaq; semper nobis illud Eusebiū
placuit, cum inquit: Salutaris illa diuinæ prædica-
tionis doctrina nulla opus habet humana adproba-
tione & commendatione. Et hoc Augustini: Sed

Euseb. Eccl. hist.
lib. 2. ca. 2.

nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense,
tanq; præiudicaturus, proferre Concilium, nec ego
huius authoritate, nec tu illius detineris: scriptus
rarum authoritatibus, non quorumcunq; proprijs,
sed vtricq; communibus testibus, res cum re, causa
cum causa, ratio cum ratione concertet, &c. vtricq;
anti ponderis molibus cedamus. Et aliud eiusdem:
Nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis Ec-
clesiam sanctam demonstrari.

De uinitate Ec-
clesiae ca. 3.

Deut. 4. 12. 29.
Iere. 23.
Math. 7.

Hæc contra Iesuiticam definitionem doctrinæ
Apostolicæ non quidem pertractasse, sed obiter
tantum perstrinxisse sufficiat. Nobis autem Apo-
stolica doctrina hæc est: quæ ex fundamentis Pro-
phetorum & Apostolicorum scriptorum extru-
cta, ac coelestibus miraculis confirmata, uno Chris-
to tanq; lapide angulari nititur, in quo solo remis-
sionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam
quærendam esse docet. Quicquid cum hac congru-
it, grato animo recipimus, vnde cunq; proficiuntur
quicquid ab ea dissonat & discordat, sine ullius
personæ respectu, confidenter reiçimus: neq; dum
hoe facimus, nostri capitis figmenta sequimur, sed
mandatis Dei, Mosis, Prophetarum, Christi, & A-
postolorum paremus; & Augustini, Ambrosij,
Chrisostomi

Chrisostomi in hunc locum interpretationes, nostro
exemplo stabilimus, dum doctrinam aliam quam
Apostolicam induci non patimur.

Ioan. 10.
Galat. 1.
1. Ioan. 4.

I E S V I T Æ .

Finis autem præcepti est charitas.

Per scriptum est ex hoc, & similibus alijs locis, nomine si-
nis, id, cuius gratia est, aut sit aliquid, & nō quæ, id est, plen-
nitudinē significari: nomine. Verò præcepti per Synecdochēn, Rom. 13.
totam legem vel scriptaram: Charitas ergo, quod omnium Gal. 5. Iac. 2.
sue virtutum Regina, meritò legum omnium sacrorumq; libro August. contra
neglecta charitate contentionibus & alterationibus operam ca. 1. & de doct-
nauant, & qui verborum sacrorum expositiones adferunt ad Christ. li. 1. ca. 4.
eam minimè conferentes. Mendacij etiam hic conuincuntur, & lib. de laudis
qui à nemine mortalium mandata Dei perfici posse affirmant.
Hinc enim consequeretur, charitatem quoq; nemini in hac vi-
ta obtingere, quæ legis est plenitudo.

II.

Matth. 22.
Mar. 12.

Rom. 13.

Gal. 5. Iac. 2.
August. contra
aduersar. Legis
& Proph. lib. 2.
ca. 1. & de doct.
Christ. li. 1. ca. 4.
& lib. de laudis
bus charitatis,

R E S P O N S I O .

P Rimum h̄c notanda est Iesuitarum malitia, qua
Paulini textus verba mutilant, dum auellunt,
quæ statim è vestigio sequuntur: Ex puro corde, &
conscientia bona, & fide non simulata: in quibus tam
men verbis omnis vis & robur dicti Paulini consi-
stit. Sed si diuinare liceat, cur h̄c verba resecuerint,
propter hanc causam fecisse videntur, ut suum com-

D ij. mentum.

mentum de fide per charitatem formata retineant. Nam cùm Sophistæ frequenter garrire soleant, si dem charitate formari, Paulus ordinem planè invertit, & charitatem fide formari docet. Cum enim charitatem ex fide, qua cor purificatur, & conscientia bona adquiritur, proficisci vult, clare indicat, non charitatem fidei, sed fidem charitatis formam & animā esse. Sed relinquamus Iesuitis suā informē fidem, & informē ac deformem charitatē: et nos eam charitatem amplectamur, quę è fide, tanq̄ è fonte riuulus pfluit, quę à fide, tanq̄ motus ab anima gubernat, quę à fide tanq̄ fructus à radice vegetat. Hanc charitatem finem præcepti vocat Paulus: & alibi hoc ipsum explicans: Consummatio, inquit, legis est dilectio. Quod h̄c præceptum, illic legem, quod h̄c finem, illic ~~πλήρης~~, hoc est, complementum, impletionem, consummationem seu plenitudinem vocat. Nam cùm duplex sit finis, alter consumptionis, alter consummationis, ut scholastici olim loquebantur, charitas recte finis consummans, non consumens dicitur, quia charitate lex non consumitur, id est, non tollitur, non abrogatur, non abolesetur, sed consummatur, hoc est, impletur & perficitur. Qui diligit alterum (inquit Paulus) legem ex amplevit: siquidem illa: Nō mœchaberis &c. & si quid aliud præceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur, nempe: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Et hoc pertinent similia loca scripturæ, ab ipsis etiā Iesuitis ad marginem annotata. Matth. 22. Marci. 12. Ro. 13. Gal. 5. Iac. 2. Et hactenus quidem nobis cùm Iesuitis in vocabulo (finis) non male conuenit.

Rom. 13:

Rom. 13:

uenit. In vocabulo autem (præcepti) non possumus
nō ab ipsis dissentire: id enim accipiunt isti pro tota
scriptura, & rursus, pro omnibus sacris libris, hoc
est, tam pro Euangelio, quam Lege. Etsi autem pos-
set quis homini simplici & candido citra malum do-
lum ita loquenti hanc balbutiem condonare, &
miti interpretatione sic emollire, quod finis quis-
dem legis esset nostra tam erga Deum, quam erga
proximum charitas: Euangelij autem finis esset, e-
tiam charitas, non tamen nostra, nec erga Deum,
nec erga homines, sed charitas Dei erga nos,
hoc est, ut vulgo loquuntur, charitas passiva, non
activa: tamen Jesuitarum longè alia est ratio. Hi e-
nim omnium hypocritarum more opinantur, homi-
nem suis operibus posse implere legem Dei, & hac
legis impletione mereri remissionem peccatorum,
iustitiam, & vitam æternam. Deinde verum discris-
men Legis & Euangelij, iustitiaq; legalis & Euans-
gelicæ ignorant. Itaq; somniant, tum legem tum
Euangelion, non aliter quam nostra charitate, hoc
est, nostris operibus, quæ omnia uno charitatis vo-
cabulo comprehendunt, seruari. Et hæc ratio est,
quare (præceptum) tam de Euangelio, quam de le-
ge interpretentur. Quid autem hoc aliud est, quam
ex Christo Mosen, ex salvatore Legislatorem &
Iudicem, ex Euangelio Decalogum facere, fidem
& opera inter se confundere, nostrorum operum
imperfectam iustitiam cum Christi perfecta iustis-
tia æquiparare, deniq; cœlum terræ miscere, ac ses-
mel & simul omne discrimin Legis & Euangelij
collere, hoc est, solem è tota nostra religione

D iii ejcere,

ençere, omniaq; Cimmerijs tenebris inuolueret
Peccant itaq; non leuiter, qui neglecto legis & Eu-
angelij, fidei & charitatis discrimine, impijs sophis-
matibus operam nauant: & qui verborum sacrorum
expositiones adferunt ab fidei analogia prorsus
abhorrentes. Mendacij etiam, & sacrilegæ impie-
tatis h̄c conuincuntur, qui à quoq; mortalium Dei
mandata perfecte impleri posse affirmant. Hinc
enim consequeretur, Christū frustra esse mortuum.
Nam quanq; nobis in hac vita Spiritus sanctus per
fidem donatus aliquam charitatem tūm erga Deum
tūm erga proximum accendit, & obedientiam
legis inchoat: tamen ea est & manet, quamdiu
hanc carnem gestamus, imperfecta, qua nec Lex
impleri, nec iudicium Dei sustineri, nec minimum
peccatum expiarī potest. Itaq; verissimum est, eam
charitatem, quæ Legis est plenitudo, nemini in hac
vita perfecte obtingere. Iesuitæ autem, dum sibi per-
fectioni charitatis adscribunt, nosq; mendacij in-
simulant, qui in hac vita legem Dei à nobis perfic-
ti posse negamus, non in Dauidem & Paulum fos-
sum iniurijs & contumeliosi sunt, sed quantum in se
est, Deum ipsum mendacē, & Christum filium Dei
stultum faciunt, eiq; passionem suam petulanter
exprobrant, & hostiliori Sarcasmo quàm Pharisei
olim, & milites sub cruce, illudunt. H̄c nisi breui-
rati & modestiæ studere decreuissent, Iesuitas
cum suis perfectionibus & operibus supererogatio-
nis, suis possemus depingere coloribus, atq; eos es-
tiam pueris deridendos propinare: sed pergendum
est ad reliqua.

Ad

Ad margines citant Augustinum tribus locis,
duobus quidem prioribus absurdisse, tertio autem
falso, quippe ex scripto notho & suppositio. Nam
contra aduersarium legis & Prophetarum lib.2.ca.1.
tantum docet, legem illam esse Dei legem, quam
Prophanus (inquit) iste blasphemat: & iudeos dicit
habere sua traditiones, à libris Propheticis & legi-
tumis alienas: & adducit aliquot dicta Propheta-
rum à Christo citata, ut probet, Christum magnifica-
cisse testimonia Legis & Prophetarum. Quod au-
tem legem ita cum Evangelio confundat, ut Iesuitæ
faciunt, ex nullo verbulo elici potest.

Idem de doctrina Christiana lib.1.cap. 4. tantum
monet, ut hoc mundo utramur, non autem fruamur:
quod, quid ad propositum faciat, non video.

Iam Pseudo Augustinus de laudibus charitatis
(hunc enim librum non esse Augustini nescio etiam Erasmus monuit) magnifice sane prædicat charita-
tem, ac inter cetera dicit: Si non vacat omnes pa-
ginas scripturarum euoluere, tene charitatem, & in
ea inuenies omnem scientiam. Et paulo post: To-
tam magnitudinem diuinorum eloquiorum & lati-
tudinem secura possidet charitas, qua Deum proxim-
umque diligimus. Sed quod idem Author non ex-
cludat his encomijs charitatis, Euangelion de Chris-
to, his ipse verbis declarat: Ille ergo qui venit
per crucis irmissionem, carnis perimere corruptio-
nem, & vetustatem vinculi mortis nostræ suæ mor-
tis nouitate dissoluere, mandato nouo fecit homi-
nem noctum. Et mox: Sed quia in carne mortuus
est, non in diuinitate, per sempiternam vitam diui-
nitatis

nitatis non permisit esse sempiternum interitum
carnis, &c. Hęc certę dicta & similia non sunt lega-
lia, sed Euangelica: neq; ad doctrinam charitatis,
sed ad doctrinam fidei proprię pertinent.

I E S V I T A E.

*Scimus autem quia bona est lex, si quis
ea legitimè utatur.*

III.

Legitimē vtebatur lege, qui eam tanquam paedagogum,
ad Christum deducentem sequebatur: qui eam seruabat inten-
tis semper oculis ad fidem, spem, & charitatem. Poff Christi
verò aduentum, antiquatis Ceremonijs, que Christum venu-
rum adumbrabant, atq; legibus illis, que adiudicia unius
tantum gentis, constituenda pertinebant, pars illa, quæ præ-
cepta decalogi continet (ad quæ naturæ leges & reliqua do-
mibus præcepta reducuntur) nihil magis abrogari potuit,
Gal. 3., Ephes. 2., Heb. 7. Matth. 19., Luc. 18.

Luc. 16.

Rom. 3.4.8.

Ephes. 2.

Heb. 7.

Matth. 19.

Luc. 18.

Matth. 5.

Rom. 3.

R E S P O N S I O.

HÆC assertio tot vicis laborat, vt iures, ma-
gnos istos Magistros, nondum prima religio-
nis.

nis clementia tenere. Primum enim cum, quid sit legitimum uti lege, docent, primum eius usum non attinunt, qui est, ut ex Lege agnoscantur peccata. Sic enim solet iudicare politica sapientia, leges ferri tantum ideo, ut siant. At Lex Dei lata est in primis ob hanc causam, ut extet iudicium Dei aduersus peccatum, ut conspiciatur ira eius, & voce Legis accusante ac iudicante ostendantur nobis peccata nostra. Si quis igitur legitimè uti velit lege, ante omnia necesse est, ut per exactionem praceptorum & denunciationem maledictionum legis in seipsum descendat, & ad seriam peccatorum suorum agnitionem perueniat: quae & dolorem in ipso exerciter de admissis, & horrore incutiat, ne in posterum dolenda admittat. Quae prima pars est veræ & Christianæ poenitentiae: ad quam deinde accedere debet fides in Christum, que ex consideratione promissionum gratiæ Dei & ingentium beneficiorum Christi à Spiritu sancto in corde accensa, consternatas mentes erigit & consolatur, ac vires insuper largitur, posthac a peccatis cauendi, & noua obedientia, suam erga Deum gratitudinem testificandi. De his tantis rebus mutae sunt Assertiones Jesuitarum: ac interea tantum concionantur de pedagogico usu Legis, de quo ad Gal. 3. cui tamen nos etiam suum locum tribuimus, modo superior ille usus, qui est peccatorum agnitione, de quo principie docet Paulus, non excludatur, aut cum hoc confundatur. Quorum alterum à Jesuitis aut impie, aut imperite factum est.

Sequitur aliud, quod rursus Jesitarum siue in
E pietatem

pietatem sive inscitiam prodit. Quod nam illud? Cum de abrogatione legis scribunt, somniant, eam solam esse veram legis abrogationem, qua & Cæremoniæ Mosaicæ ac Leuiticæ, & Leges Iudiciales seu Forenses politiæ Iudaicæ per Christum sunt antisquatae: sed de abrogata maledictione legis etiam moralis (quod libertatis Christianæ caput est) ne gry quidem proferunt. Itacç Christiani secundum lefuitarum delyria, sub lege sunt adhuc, non sub gratia. Nos vero ex sacris literis constantissimè docemus, à Christo totam legem esse abrogatam: duas quidem priores partes, quæ ad ritus Ecclesiasticos & iura iudiciaq; forensia pertinent, cùm, quo ad maledictionem, cùm, quo ad obedientiam: nisi si quid in eis est legis naturæ, id enim est perpetuum: tertiam vero, quæ Lex moralis & vilitate Decalogus appellatur, tantum quo ad maledictionem, non quo ad obedientiam. Hoc illud est, quod Christus ait: Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Et Paulus: Christus nos redemit à maledictiōe legis, factus pro nobis maledictū. Cùm enim Lex obliget ad obedientiā vel ad pœnā, Christus propter nos & obedientiam perfectā præstítit, & pœnam exoluit, vt nos & à pœna liberaret, & obedientiæ nostræ imperfectionē sua perfectione tegeret. Dicite igit; vos, qui sub lege esse vultis Iesuite, vtrū seruare legē vultis? an vero propter nō seruatam pœnas luere? Seruare, inquiunt, volumus, ne pœnam luere cogamur. Recte. Quomodo autem eam seruabitis? Hic rursus nūi errorem (vt fœcundus est error) produnt. Ad hoc, inquiunt, gratiæ donum tribuitur, vt eam vassianus

Ioan. 8.
Gal. 3.

Ieamus seruare. En magnos Doctores , vt ignorant,
quid sit lex, quis verus usus legis, quæ sit legis abro-
gatio , ita etiam ignorant quid sit gratia , & legem
seruare per gratiam. Cum enim duo sint, & distin-
cta, gratia , & donum per gratiam , illi utrumque con-
fundunt, & per gratiam vetusto Sophistarum error,
re, donum gratiæ intelligunt, hoc est, vt Scholasti-
ci desinunt, habitum infusum charitatis , supernæ
turalem, inhærentem formaliter naturæ beatifica-
bili : per quem ipsa est amica Dei , & sibi grata &
chara, & per quem actus eius elicitus secundum in-
clinationē talis habitus est meritorius vitæ æterne.

Vel breuius. Gratia gratum faciens , est donum dicitur Compen. Theo-
uinitus datum ad merendum: quemadmodum gratia log. verit. lib. 5.
tia gratis data est donum, quo se homo præparat ad
fuscipliendum donum Spiritus sancti. Has tenebras
in Ecclesiam reuocant Iesuitæ, cum gratiæ dono le-
gem à nobis seruari posse afferunt. Nos autem dis-
stinctè docemus Paulini verbis, de gratia , & do-
num gratiæ , & dicimus legem perfecte seruari, per
gratiæ, hoc est, quando à Deo gratuito fauore
propter Christum per fidem acceptamur: tum per
gratiæ, id est, misericordiam & acceptationem
Dei imputatur nobis iustitia Christi, & integra im-
pletio Legis, quam Christus præstítit, perinde ac si
nos ipsi legem integrè impleuissemus. Postea hoc es-
tiam libenter fatemur, & grato animo prædicamus,
quod per donum gratiæ , id est, auxilium Spiritus
sancti, obedientia legis re ipsa in nobis inchoëtur,
que in altera vita perficietur, cum pro primitijs Spiri-
tus plenissimas decimas acceperimus. Dicatum

E. ij. Christi.

Christi quod allegant Iesuitæ: Non veni soluere legem, sed adimplere, verissimum quidem est, sed à Iesuitis non apposite citatur. Christus enim non propterea impleuit legem, vt & nobis daret vires eam nostris operibus perfecte, in hac vita, implendi; sed vt, cum nos eam implere nostris operibus non possemus, fide in Christum impleremus, dum nobis ipsius impletio per fidem imputatur. Et huc pertinent verba Pauli: Legem stabilimus per fidem. Stabilitur enim primum & principaliter per gratiam, per imputationem scilicet iustitiae Christi: deinde per donum gratiae, quia fide accipitur donum Spiritus sancti, & inchoatur & placet Deo obediens entia propter Christum. Sic ergo his dictis non Iesuitarum impia, sed nostra vere pia sententia confirmatur. Hunc enim esse genuinum sensum verborum Christi & Pauli, aliorum locorum collatione probare possumus. Alibi enim Paulus ait: Quod Lex præstare non poterat ea parte, qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiae præstitit, &c. Et iterum: Finis legis Christus ad iustificationem omnium credentium.

IESVITÆ.

Scientes hoc, quia Lex iusto non est positiva, sed iniustis, &c.

III. Nihil hinc habent fœde libertatis amatores, ad licentiam peccandi

peccandi confirmandam. Si enim hoc de quacunq; lege genera-
tim accipiatur, intelligi potes; in eum sensum (quem plariz Gal.5. Cle. Alex.
Patres adprobant, & Apostolus alibi significat) ut iusto, qua 2. Strom. Leo
ratione iustus es; & sua sponte legem seruat, & superat, non Epist. 21. Cassi-
fi posita Lex, sed qua ratione iniquus reddi potes; latam le- an, collat. 21. c. 3.
gem violando: Si autem speciatim de lege veteri (quod ex A. Aug. de spir. &
postoli proposito & verbis, atq; Augustini & sanctorum expo- lit. c. 10. Hier. in
fitione videatur probabilius) sit sermo, dicendum es; legem il- ca. 5. ad Galat.
lam non bis, qui iam fuissent iusti, sed impij, ut ad iustitiam Chrys. Amb. &
peruenirent, positam fuisse. Non enim Lex illa, quatenus lex alii in hunc locu.
dicitur factorum, & à noua distinguitur, iustitiam consequitur
es; sed antecedit. Lex vero noua, quæ tum lex spiritus vite, Rom. 3. Rom. 8.
tum lex cordibus inscripta, tum testamentum nouum dicitur, Hiere. 31. Heb. 8.
cum interna sit, & auxilium ferat ad se seruandam, & amore
requirat in obtemperante (si propriè loqui volumus) iustis tan-
tum posita es;.

RESPONSIO.

IN hac assertione nihil est per se impium, sed quæ-
dam ad impietatem proclivia, obscura certe &
ambigua permulta. Petimus igitur manifestiorem
declarationem. Ac primum declarant Iesuitæ, qui
nam sint illi foedæ libertatis amatores, qui licentia
am peccandi confirmant. Si enim dixerint, nos eos
esse, impudentissimæ calumniæ arguentur. Deinde
exponant quid hoc sit: Iustus legem non tantum ser-
uat, sed & superat. Hanc enim phrasin nondum in-
telligimus, quæ nostra est ruditas. Rudis enim est,
Bartholomæo Latomo authore, Apostolica Eccles-

E iii sia.

Sia. Si dixerint superare esse supererogare, poteris
mus fortasse & nos ad hanc respcionem superero-
gare aliquid, de quo Iesuitis ambæ aures tinniant.
Deinde explicit, quomodo per legem veterē im-
pij ad iustitiam peruerentur: num per legem iniur-
itiam suam agnoscendo, cui non refragamur: num
verò opera in lege præcepta faciendo: quod abo-
minamur: Quia non iustificabitur ex operibus legis
omnis caro. Euoluant præterea & hunc nodum satis
inuolutum: quomodo Lex vetus iustitiam non ses-
quatur, sed antecedat: Num faciendo iusta, iusti fia-
mus: ut Aristoteles in Ethicis philosophatur, &
Sententiarij nugantur: an verò prius iusti facti seu
iustificati, deinceps iusta faciamus: ut cum Paulo &
Augustino nos sentimus. Elucidant & hoc, quo sen-
su Euangelion legem nouam appellant: num eo, quo
Hebraica phrasí quælibet doctrina Lex dicitur:
num verò eo, quo Scholastici Theologi ac pleriq[ue]
etiam Patres, Christum dicunt nouam & perfectio-
rem legem quam Mosaica sit, promulgasse, in qua et
consilia duodecim, & præcepta penè innumera con-
tineantur: Deniq[ue] extricent, quod mirifice intrica-
runt, quomodo Lex noua, hoc est, Euangelion, iu-
stis tantum sit posita, cirm Christus dicat: Non veni
ad vocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiā:
Et alibi: Pauperes euangelizantur. Hæc nostra
~~iniquitas~~ si enodauerint, ac nihil maliciose dissimulas-
rint, videbimus lernam sexcentis impietatibus sca-
tentem. Interea iudicium differemus, ne se nondum
intellectos præcipiti celeritate damnari queran-
tur. Ne tamen lectorem sine vera intelligentia hu-
ius loci.

Gal. 2.

Matth. 9.

Matth. 11.

Ius loci dimittamus, operæprecium est ostendere,
qua ratione Apostolus dicit, iusto legem non esse
positam, sed iniusto. Tres sunt usus Legis diuinæ.
Primus politicus siue paedagogicus, quo tanq; car-
cere seu virga paedagogi, externa disciplina homi-
nes cohercetur, ne se crassis sceleribus polluant. Al-
ter usus legis, ostensio, agnitio, atq; accusatio pecca-
ti, in quo explicando, inculcandoq; diligentissime
versatur Paulus, quia agnatam nobis hypocrisim dif-
ficulter expelli posse nouit. Tertius usus est, ut sit
norma & regula certorum operum, in quibus Deus
vult nos excercere obedientiam, testandæ fidei &
declarandæ gratitudinis causa. Iam, cum duo sint ho-
minum genera, alij renati seu iusti, alij non renati,
seu iniusti, tres enumerati usus legis ad duplex ho-
minum genus sunt accommodandi. Itaq; primus pro-
prie ad non renatos, ultimus ad renatos, intermedi-
us ad utrosq; pertinet. Cum igitur Paulus iusto le-
gem positam esse neget, iniusto affirmet, certum est,
eum de primo legis usu, qui iniustorum seu non re-
natorum proprius est, verba facere. Hi ut coherce-
antur, non tantum Lex à Deo lata est, sed constituti
etiam Magistratus, iudicia, carceres, lictores, carni-
fices, tormenta, supplicia, quibus omnibus non esset
opus, si omnes homines essent iusti, ac non carni, sed
spiritui obedirent.

Nunc marginales allegationes examinemus, ut
quo ordine progressi sunt Iesuitæ, eodem & nos
progrediamur.

Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. Quomodo
(inquit) non est bona Lex, quæ erudit ac castigat,
& que

& quæ data est pædagogus ad Christum, vt dum per timorem castigationis ratione dirigimur, ad eam quæ est per Christum perfectionem conuertamur. Hactenus Clemens. Quid autem hæc Iesuitis patrocinentur, ne ipse quidem Oedipus diuinare possit.

Leo epistola 21. prorsus nihil habet, quod ad præsentem statum faciat. Nisi fortassis Iesuitæ alias epistolas Leonis citent, quam quæ in Conciliorum tomis inueniuntur, numero nonaginta quinque.

Apud Cassianum, in Collatione 23. Abbatis Ioannis cum Theona cap.3. Monachus Monacho conuenientem, hoc est, hypocriticam sententiam profert, inquiens: Iusti quibus Lex non est posita sic probantur non esse sub lege, vt iustitias legis non solum implere, veriusmetiam superare contendant: sitq[ue] desuotio eorum legali maior imperio: quæ obseruantiam cumulans præceptorum, VOLVNTARIA AD DAT AD DEBITA &c. En tibi dictū iustitiarū Monachi, ē diametro pugnās cum dicto Christi: cūm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dícite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Valeat igit̄ Iesuite cum Cassiano suo, cuius totum librū vix cassā nuce emerim. Nam & Author à B. Ioanne Chrysoſtomo ex Ecclesia Constantinopolitana nō imerito electus fuit: & Prosper ac Cassiodorus, probatæ fidei scriptores, non obscurè illum Pelagianismi damnat. Et totus deniq[ue] liber Collationū, etiam in Iure Pontificio, inter Apocryphos numeratur. Dist. 15. ca. Sancta Romana.

Augustinus de ſpiritu & litera cap. 10. non docet legem datam esse, vt per eam ad iustitiam ita perueniamus,

niamus, sicut per multas actiones ad habitum. Sed sic loquitur : Nam quis legitimè (inquit) vtitur lege nisi iustus ? At ei non est posita, sed iniusto. An & iniustus vt iustificetur, id est, vt iustus fiat, legitimè vti lege debet, qua TANQ VAM PÆDAGO GO pere ducatur ad gratiam, per quam solam, quod Lex iubet, possit implere ? Per ipsam quippe iustificatur gratis, id est, nullis suorum operum præcedentibus meritis : alioquin gratia iam nō est gratia, quandoquidem datur, NON Q VIA BONA OPERA FECIMVS, sed vt ea facere valeamus, id est, nō quia legem impleuimus, sed vt legem implere possimus. Et paulo post eodem capite disputat Augustinus: Quomodo (inquit) iusto lex non est posita, si & iusto est necessaria, non qua iustus ad iustificantem gratiam perducatur, sed qua legitimè, iam iustus, vtatur ? An forte, imò verò non forte, sic legitimè vtatur lege iam iustus, cùm eam TERRENDIS IMPONIT iniustis, vt cùm & in ipsis cœperit inolute concupiscentiæ morbus incentiuo prohibitionis, & cumulo præuaricationis augeri, CONFUGIANT PER FIDEM AD IVSTIFICANT EM GRATIAM, & per donum spiritus suavitate iustitiæ delectati, poenam literæ minantis euadant. Hactenus Augustinus. Quid autem posset pro nostra sententia clarius, & contra lesuitarum opinionem disertius dici, quam hoc ipsum videlicet, quod lex non sic perdusat ad iustitiam, si quis opera eius faciat: sed si quis à lege tanq pædagogo territus adigatur, vt fide ad Christum confugiat, & propter hunc gratis iustis fieretur.

Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius, & alij
in hunc locum, dum verba Pauli de lege veteri, hoc
est, Decalogo interpretantur, sententiæ nostræ tam
nihil derogant, ut eam potius confirmant, & adver-
sus Jesuitas testimonium perhibeant.

IESVITÆ.

*Fidelis sermo, & omni acceptione di-
gnus, Dominus Jesus venit in hunc mun-
dum, &c.*

V.

Nondum per fidem & Baptismum regeneratis, vult per
hac Apostolus animum addere, (quod ex verbis eius est per
se manifestum) non christianorum fouere peccata. Propositum
autem Christi in priori hoc aduentu fuit, omnes homines, (cre-
dentes tamen & obedientes) originis peccato, alijsq; delictis
mundare, iustosq; efficere, & iusticiam conservantes, ad ater-
nam gloriam perducere. Post baptismum vero peccantibus,
quamvis ob maiorem ipsorum ingratitudinem, difficilorem se
Matth. 18. Ioa. 20 prabeat, non tamen negavit penitentia tabulam, qua salut
Aug. de verbis esse possint. Quod autem Augustinus ex his ijsdem verbis col-
Aposto. ser. 8. 9. ligit, etiam parvulus Baptismum, tanquam peccati remedium
Concil. Trident. Seff. 5. Decret. de relictum esse, verissimum est, & fide Catholica credendum,
pecca. originis. propter traditionem Apostolicam, & generalem Ecclesie con-
& Seff. 7. can. 13. sensum.

RESPONSIΟ.

Non

NON apri cultos hortos fœdius vastant, quam
hoc Pauli dictum Iesuitæ. Id enim cùm sit omni
spirituali consolatione plenissimum, & contra
dubitacionē diffidentiamq; de Dei gratia validius
nitatur, quam quisquam locus alius, nihilominus
tamen Sceptici isti nostri Theologi, quoquo modo
possunt, torquent & retorquent, ne in Christianis
plenam fidei certitudinem admittant, sed dubitatio-
nis semper quosdam aculeos in credentium animis
relinquant. Dicunt enim, Apostoli verba non ad
Christianos pertinere, quorum peccata Paulus fo-
uere nolit, (placuit enim eis usitata hypocritarum
calumnia, qua nos sine causa grauant) sed pertinet
ad eos, qui nondum per fidem & baptismum sint
regenerati, quibus Paulus animum velit addere, ne
desperent, se aliquando conuerteri, & in gratiam re-
cipi posse. Hanc & non aliam sententiam ex verbis
Iesuitarum colligit, quicunq; ea diligenter ponde-
rauerit. Putas ne autem amicissime Lector, istis
Theologis aliquid esse sani cerebri, & illæsa memo-
riæ? Nam in fine præcedentis Positionis dixerunt,
legem nouam iustis tantum positam esse: nunc in
principio huius Theseos dicunt, hæc verba: Fidelis
sermo, &c. quæ sunt ipsissimum Euangelion seu Lex
noua, pertinere ad iniustos, nondum per fidem & Bap-
tismum regeneratos. Cum igitur quæ modo destru-
xerant, ea rursum ædificant, nonne vertiginem &
insaniam produnt? Iam ridiculum est, quod iniustis
& nondum rettatis animum addere malunt ad con-
uerzionem, quam renatis & conuersis ad perseuer-
rantiam; quasi vel illis certius promissa esset Dei

F in gratia

gratia quām his: vel hi minus possent & deberent
sperare quām illi. Absurdum etiam est & impium,
cūm Christus sit propitiatio pro peccatis totius
mundi, satisfactionem eius, & quod hanc adnuntiat
Euangelion, ad certorum duntaxat hominum pec-
cata restringere. Aut ita ne delirant Iesuitæ, vt
Christianos per fidem & Baptismum regeneratos
non amplius peccatores esse putent: verūm hoc si
1. Joan. 1:1 sentiat, & seipso & alios fallunt, & veritas in ipsis
non est. Quid opus est argumentis pluribus: ipsa
tantum Apostoli verba exutiamus: Si certus &
fidelis est sermo. Num ppter impios tantum certus
& fidelis erit, propter pios autem incertus & infi-
delis? Sed hoc ne ipsa quidem dixerit insania. Si hic
sermo omni acceptione dignus est: num vt ab im-
pijs tantum accipiatur, dignus, vt à pijs verò, indig-
nus erit? Sed ne furiarum quidem furor hoc protus-
lerit: omnis enim acceptio, certè Christianorum es-
tiam seu regeneratorum acceptione complectitur.
Et si Jesus Christus venit in hunc mundum, certè
propter Christianos et renatos etiam venit, nisi quis
hos ē mundo velit relegare, eisq; nullam mundi
partem aut portionē relinqueret. Quòd si pars mun-
di sunt, vt omnino sunt, certè Christi etiam Euans-
gelion ad eos spectat. Ac si propterea venit Chris-
tus, vt peccatores saluos faceret, nonne etiam Chris-
tianos, qui peccatum usq; ad mortem in se habent,
saluos faciet? Denicq; Paulus non dicit: Quorum
ego primus fui, sed: Quorum ego primus sum. En-
non loquitur de se nondum regenerato, sed iam du-
dum conuerso, & non tantum Christiano, verūm
etiam

etiam Apostolo factō: vt clarē ostendat, Euangelion ad omnes omnium ordinum & ætatum homines pertinere, ac gratiam Dei & salutem in Christo omnibus peccatoribus offerri, modò hunc fidelem & certum sermonem omni acceptione dignum iudicent, & vera, certaque fide sibi applicent. Peccatores sanè non vnius sunt generis. Alij enim sunt hypocrite, qui faciunt quidem honesta opera, sed meritis horum operum iustos se ac sanctos iudicant. & hi sunt peccatores longè maximi, quamuis putent se sanctissimos. Alij publicè ducunt turpem & flagitiosam vitam, qui idcirco istis prioribus sunt curabiles, quod ad agnitionem peccatorum facilius possunt adduci. Alij sunt, qui territi horrore peccatorum & mortis, nihil nisi interitum suum visent, qualis erat Petrus, cum post abnegatum Christum in amarissimas lachrymas prorumperet. Alij denique sunt peccatores, qui & agnoscent peccata sua, & in Christum credunt, & ex fide in nouitate vitae ambulant. Hos certe omnes suscepit Christus vocandos ad poenitentiam & saluandos, si in ipsum credant. Ad hos omnes pertinet aurea Pauli sententia: Fidelis sermo, &c. Sed hoc est, inquit Iesuitæ, Christianorum peccata fouere. O Satanicani calumniam & blasphemiam! Ita ne optimè loquendi & viuendi Magister Christe, peccata hominum forebas, cum diceres: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua; cum quasi sublato signo laborantes & oneratos omnes ad te vocares, tecque illos refecturum promitteres: Ad te igitur, & ad sermonem tuum misericordia hoc est, non modo fidelem, sed etiam fide acci-

F ij piendum

piendum (hoc enim ^{misericordia} sonat) prouocamus: & ut fidem nostram à dubitatione, ad quam caro per se prona est, subinde liberes, & Spíritu sancto tuo in nobis confirmes & obsignes, tuiqe verbi honorem à Iesuitarum probris vindices, suppliciter oramus.

Porro quod Iesuitæ inter peccata ante Baptismū & post Baptismum ita distinguunt, quasi Christus post Baptismum peccantibus difficiliorem se præbεat, quām ijs qui ante Baptismum peccant: signum est cerebri eorum. Nusquam enim legimus Christum DomiNicUalTer esse ad ignoscendum peccatoribus resipiscētibus: imo vero contrarium legimus, eum ouem amissam indefesso studio querere, & inuentam humeris reportare: & filio perditō obscuriam procurrere, in amplexum eius ruere, atqe desoculari: et peccatori non septies, sed septuagies septies remittere: denique nullum modum aut finem misericordiaæ gratiaæque suæ erga resipiscentes statuere. Maligne igit ostium gratiaæ claudunt Iesuitæ, dum Christum difficiliorem se præbere fingunt, & interminatam misericordiam, certis quasi limitibus circumscribunt. Et cum ad marginem testimonia ex Epistolæ ad Heb. 6. & 10. capite apponat, quæ à Novationis ad negandam lapsis venia spem detorquebantur, Nouatianismum quendam in Ecclesiam reducere moluntur. Dicemus igit illis, quod Constantinus Imperator in Nicæna Synodo, reprehendens arrogantiam Aæsij Nouatianorum Episcopi dicebat: Scalias admouete, & soli in cœlum ascende, quoniam vos sine peccato esse falso fingitis. Ad vos autem Iesuitæ & vestri ordinis homines despescatos

ratos Monachos & Sacrificulos, illa ad Hebræos tonitrua proprie pertinet. Vos enim ab integro et quotidie vobis metípsis filium Dei in Missa crucifixi gitis, & ludibrio exponitis, & sanguinem testamen-
ti conculcatis, & altam pro peccato hostiam, quam
eā solam, quae in cruce oblata est, queritis. Itaq;
nisi ad solam cruentam passionis Christi victimam
confugietis, non ultra pro peccatis vestris alia reli-
qua erit hostia, sed formidabilis quædam expecta-
tio iudicij, & ignis vehementia, qui deuoraturus est
aduersarios. Ceterum, qui in merito crucis & pas-
sionis Christi acquiescunt, & siue ante siue post Ba-
ptismum per fidem ad Christum configiunt, in eiusq;
vulnera (ut cum Bernardo loquamus) se absconde-
dunt, hi quotcunq; & quantiscunq; peccatis onerati
fuerint, obuijs (quod aiunt) vlnis à Deo Patre &
Filio & Spiritu sancto, & ab omnibus angelis eius
excipiuntur, ac in familiam Dei iterum cooptantur.
Nam ut sine Christo & extra Christum nulla est sa-
lus, ita vicissim in Christo, & ijs, qui per fidem Chri-
sto sunt insiti, nulla est condemnatio. In summa, crea-
dimus remissionem peccatorum & ante & post Ba-
ptismum, & non à difficili iudice, sed à facilis patre, et
charissimo fratre, & clementissimo seruatore. Ma-
leant igitur lesuitæ cum suo difficili Christo, talem
enim in scripturis non inuenimus, qui de scipso ait:
Tota die expandi manus meas ad populum non cre-
dentem & contradicentem. Si ad populum non cre-
dentem & contradicentem, quanto magis ad popu-
lum credentem & adsentientem? Sed quia lesuitæ
ipſi vident, sece cum suo difficili Christo, extra me-
tas

Esa. 55.

tas Christianismi delatos, gradum sicut tunc, & pedem referre incipiunt: Non tamen (inquiunt) negauit pœnitentia tabulam, qua salui esse possint. Recte quidem hoc, si à rectis diceretur: sed ab impijs egreditur impietas, & peruersi peruerso agunt & loquuntur. Fingunt enim hypocritæ talem pœnitentiam, in qua meritis bonorum operum peccata nostra exipientur. Et hanc pœnitentia tabulam, qua veluti Charontis cymba Stygiam paludem transnuigare volunt, ex tribus asseribus compingunt: Contritione, Confessione, Satisfactione, & hoc sensu dicunt Iesuitæ pœnitentia tabula nos saluari posse. Hæc autem est extrema impietas, fictæ pœnitentia, fictis operibus id tribuere, quod soli Christo conuenit. Nec enim alia ratione per pœnitentiam saluamur, nisi quia fide, quæ altera pœnitentia pars est, Christum adprehendimus, cuius iustitia nobis ita imputatur, ut & nos iustificemur, hoc est, non quidem in hac vita perfectè re ipsa in nobis iusti siamus (ut Iesuitæ somniant) sed tamen coram iudicio Dei iusti pronunciemur, & à nostra iustitia absoluamur.

Cæterum, quod in fine huius conclusionis adserunt, infantes baptisandos esse, & in baptismo remitti eis peccata, planè adserimur. Sed quod Pædobaptismum nullis alijs rationibus & argumentis firmant, quam traditione Apostolica, & generali Ecclesiæ consensu, id verò Christianis, nedum Theologis Doctoribus indignum est: & Anabaptistis ad blasphemandum ampla fenestra aperitur, si fundamentum Baptismi infantium, tantum in hys ipsius traditionibus & consensu Ecclesiæ, non

non etiam expressis scripturis collocetur. Nos vero, et si hac in parte traditionem Apostolorum & Ecclesiæ consensum magnificimus, tamen firmius tam venerandum Sacramentum munire solemus. Nam præterquam quod in veteri testamento circumcisio Col. 2. Matth. 28 si sunt infantes, in cuius Sacramenti locum Baptismus Mar. 16. successit, Christus diserte omnes gentes, quarum magna pars sunt infantes, baptizari iubet, ipsamet suauissime pueros ad se vocat, vultque ut sines Mar. 19. paruulos ad eum venire. Veniunt autem ad eum & offeruntur ei in Baptismo, de quo Esaias est Esa. 49. tiam vaticinatus est: Afferent (inquit) filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. Adhuc Christus paruulis regnum cœlorum promittit. ad quos autem pertinet promissio, ad eosdem & signum promissionis pertinet. Præterea Apostolos integras familias (quæ raro paruulis parent) baptizasse constat. Et Paulus Ecclesiam (husus autem magna pars sunt infantes) à Christo mundari afferit lauacrum aquæ per verbum. Denique cum certum sit, infantes, utpote in peccatis conceptos & natos, regenerationis Tit. 3. ne non minus indigere quam adultos, & Baptismus sit lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, necessario sequitur, eos baptizandos esse: præsertim cum Christus clare & serio pronunciet: Amen, amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Nisi ergo infantes ultra priuare regno coelesti velimus, à Baptismo nequaquam excludemus. His & similibus argumentis ac testimonijis scripturarum Baptismum parvorum constanter defendimus, postea

G. vero

50 AD ASSERTIONES IESVI-

vero tanque historicum testimonium non grauatum,
imò grato animo amplectimur Origenis, Augustini,
& totius preiae vetustatis suffragia, quae ab Apos-
tolorum temporibus ricum baptizandi infantes in
Ecclesia viguisse testantur. Tantum hoc cauemus,
ne parietes & tectum fundamēti loco substruamus,
quod à Iesuitis absurde factum liquet.

I E S V I T Æ.

Ut milites in illis bonam militiam, ha-
bens fidem & bonam conscientiam.

VI.

1. 19.
Ieron. 6. 13.
Ephes. 6.
Tim. 4.
*Vt non satis est militi, non dico ad coronam, sed neque ad
stipendium merendum, sacramento militie obligatum esse, ac
stationem à Duce assignatam habere, si militarem contemnat
disciplinam, & ociose tradat, dum est cum hoste configendum,
ita nec Christiano viro sufficit, baptismi Sacramentum suscep-
isse, habere fidem, & in aliquo gradu posicium esse, si ea negli-
git, qua Læx Christi præcipit, & suscep*ta* vita ratio postular,
quod est bona conscientia carere. Si enim sola fides sufficit,
cur Apostolus Christianos ad militiam animat & armis
parijs instruit?*

R E S P O N S I O.

Nihil est magnopere, quod in hac Thesi repres-
hēdamus, nisi quod calumniā nobis impingūt,
qua si fidē doceamus inanem et mortuam, que fructu
bonorum

TARVM RESPONSIO.

53

bonorum operum careat: quasi item **SOLAM** fidem ad totam vitam Christiani hominis sufficere arbitremur. Sed plus nullies à nostris demonstratum est, nec fidem veram posse esse sine operibus, neq; vñq; solam esse, sed tamen solam iustificare, non alia ratione quam quia sola est idoneum instrumentum apprehendendi & applicandi Christum cum suis meritis. Et licet ad iustificationem hominis coram Deo, **SOLA**, **SOLA**, inquam, fides, hoc est, exclusis operum meritis sufficiat: tamen ad totam vitam hominis Christiani, & conuersationem eius in his terris inter homines, nequaq; sufficere: quia fides quidem cum Deo agat, charitas autem cum proximo: & quæ fidei manu homo à Deo acceperit, eorum fructus altera manu charitatis inter homines distribuitur. Particulam autem, **SOLA**, qua in doctrina Iustificationis vtimur, nō ipſi finiximus, sed ex equipollentibus Pauli phrasibus dīdicimus, haūsimus, arripimus, expressimus. Quid enim aliud est: Arbitramur fidei iustificari hominem, **A B S Q V B** operibus Iesu **Roma**, gis. Et denuo: Ei qui **NON OPERATVR**, sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Et alibi: Scimus non iustificari hominem ex operibus legis, **NISI** per fidem Iesu Christi. **Gal. 2.** Et rursus: **GRATIA** estis seruati per fidem, idq; **NON** **Ephie. 2.** ex vobis, Dei donum est, **NON EX O P E R I B U S**, ne quis glorietur. Quid, inquam, hæc aliud sibi volunt, quam, **SOLA** fidei hominem iustificari? Imo, si quis rem exactius consideret, videbit Paulinas loquitiones opera fortius negare & excludere ex iustificatione, quam nostram particulam, **SOLA**, qua ideo-

G. ii. etiam:

etiam libentius utimur, quod vetustis Patribus usitatam fuisse scimus. Nam neq; Origeni, Athanasio, Hilario, Ambrosio, Basilio, Hieronymo, Chrisostomo, Hesychio, Arnobio, Sedulio, Theophilacto, Haymoni, Bernhardo dispuicuit: neq; Glossa ordinaria, Thomas Aquinas, Lyra, Bonaventura, Erasmus Roterodamus, & Iacobus Sadoletus abhorserunt.

I E S V I T Æ.

Quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.

VII.

2. Tim. 2.

Heb. ii.
1. Cor. xii.
Iac. 2.

Igitur qui bonas actiones contemnendo, & prauas admiscendo, bonam repellunt conscientiam, viam ingrediuntur periculosa, in qua mirum non est, si fidei naufragium faciant. Horum e numero sunt Hymenai, hoc est, nupiales & voluptuarij homines, maxime qui contra fidem Deo datam, hodie nupturunt: Sunt & Alexandri, nempe arrogantes, & contentiousi homines. Nec leuiter attingendum, quod Apostolo Fides similis est naui: ut enim nauis ita est ad merces vehendas necessaria, ut illis vacua esse possit, nullamq; domino pteilitatem adferre, sic & fides necessaria quidem est, ad bonas actiones inferandas in cœlum, sine illis (ociosam & iniuriosam) esse potest.

R E S P O N S I O.

In

IN hac assertione quis non rideat intempestiuam & insulsam allegoriā de Hymenaeis & Alexan- dris: quis nō detestetur Iesuitarum licentiam , qui, quasi ex professo scripturā ludibrio habeant, sensus alienissimos fingunt? Sic solent tenebrarū filij tenes- bras luci inferre, & scripturas non maiori reueren- tia, quām fabellas Aēsopicas tractare. Vbi iam il- le, quas toties crepant, Patrum interpretationes? vbi sunt, qui per Hymenaeos nuptiales, per Ale- xandros arrogantes intelligunt? Dilingē sunt, Ie- suitæ sunt, pileati sunt, mox mitrati, & Galeras ti, & Thiarati futuri sunt. Nunquid hoc sufficit? Sit pro ratione voluntas. Sed disperdat Dominus vniꝝ Psal. 11. uersa labia dolosa, & linguam magniloquam. Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?

Non minus inconcinna est similitudo de naui mercibus vacua, & fide vacua operibus. Nam in hac Metaphorica loquutione (circa fidem naufragium facere) perspicuum est, fidem non naui, sed merci- bus quæ naui uehuntur, quarumq; in saeuis tempe- statibus sēpē iactura fit, comparari. Sed esto sanè, sit fides nauis, sit nauis mercibus vacua; quid inde aliud consequitur, quām esse quandam fidem, cum qua non necessariò sint coniuncta bona opera, qua- lis est fides miraculorum, de qua Paulus i. Corint. 13. qualis est fides historica, quam & dæmones habent, sed contremiscunt. Hanc fidem bonis operibus ca- rere qui negarit, inter nostros scimus neminem: qui affirmarint, plurimos nouimus. Fides autem qualis & à Paulo ubiq; & ab authore Epistolæ ad He-

§4 AD ASSERTIONES IESVI-

bræos cap. ii. describitur, ut bonis operibus nunc
est vacua, sed semper prægnans & fœcunda: ita na-
ui mercibus onus et rectius quam vacuae compara-
tur. Ut tamē nauis non quia mercibus referta est,
sed quia prudēter gubernatur, & certum littus pro-
positum habet, ad portum defertur: sic fides, nō quia
operum ferax est, sed quia à Spiritu sancto, secun-
dum verbi diuini gnomonem ad unum Christum
dirigitur, nos ex huius mundi (qui à Chrysostomo
πολυπλοκή πίλατος dicitur) procellis & tempestatibus ad
exoptatissimum æternæ salutis portum euehit.

I E S V I T Æ.

Quos tradiū Sathanæ, ut discant non
blasphemare.

VIII.

*Ut Synagoga vetus à Deo potestatem habuit, illos occis-
dendi, qui Sacerdoti obediens renuissent, ita Christi Ecclesia
(testibus Anthero, Cypriano, & Augustino) ab ipso authori-
zatorem habet eos tradendi Sathanæ, vel à communione catero-
thicæ. Cypri. li. 1. epist. ii. Aug. 1. epist. ii. Aug.
li. 5. ca. 39. Matt. 18. 1. Cor. 5. 2. Thes. 3. 1. 10. 1. Can. Apost. 10. Calixtus Pont. martyris epist. ad ois Epis. Galliae omnibus exhibetur, tanquam qui cum sacris literis, cum
Vrb. Pon. martyri.*

Apollo-

*Apostolica traditione, cum Ecclesie catholice consuetudine, epist. de commun
et cum recta ratione pugnare velit.*

Tertul. in Apolog. aduer. gent. c. 39. Orig. hom. 2. in lib. Judic. Ambros. in Psal.
118. Hierony. incap. 18. Matth. Chrysoſt. hom. 5. in hanc epist. & hom. 15. in 1. e-
pist. ad Cor. Conc. Carthag. 4. c. 73. Bracaren. 1. c. 33. Gangren. integr. Trident.
fess. 25. Decret. de reformat. c. 1.

R E S P O N S I O .

Veram Ecclesiam habere potestatem excom-
municandi præfracte sceleratos & pertinaci-
ter hæreticos, apud nos extra omnē est controvērtia
positum. Fines etiam eosdem, quos ieiuita statui-
mus: videlicet, peccatoris conuersiōnem & salutem,
ac cæterorum membrorum Ecclesiæ vtilitatem, vt
homines commūnē facti de iudicio Dei contra pec-
cata, Deum magis timeant & innocent, ac intentio-
ri cura à peccatis abstineant: quibus & tertium ad-
dere solemus, ne nomen Dei & Ecclesiæ male audi-
at inter gentes seu incredulos, quasi Ecclesia Christi
sceleratorum esset hominum colluīes. Nec in hoc
dissentimus, eum, qui Ecclesiæ potestatē hanc sper-
nit, dignum esse qui severitatem eius facti ipso ex-
periatur. Sed de hoc controvērtitur, quæ nam Ec-
clesia potestatem habeat excommunicandi? Num
ea, quæ malignantium dicitur, qualis est Ecclesia
Pontificia: an verba ea, quæ quia verbum Christi sim-
terum & incorruptum amplectitur, & Sacramentis
legitime vtitur, vera est & germana Ecclesia, &
sponsa Christi in scripturis appellatur: qualis nostra
est per Dei gratiam a Papisticis sordibus repurgata
Ecclesia.

Ecclesia. Non enim est obscurum, quomodo Papa
 ad se solum, & vngtam, rasamq; suam cohortem ras-
 puerit excommunicandi potestatem, cum sit toti
 Ecclesiæ Christi tradita, nisi quod ordinis gratia,
 per quosdam delectos administrari debet. Nec igno-
 tum est, quomodo excommunicationem commuta-
 xint in ciuilem potestatem & exactiōnem, qua ho-
 mines propter debita pecuniaria, aut alias politicas
 causas excommunicarunt, & ad solutionem coēges-
 runt. Qualia pecuniarum aucupia & torturas, Offi-
 ciales, nobile prædonum genus, in regno Papistico
 exactius norunt, quāni suos ipsorum vngues & ar-
 ticulos. Hac eadem potestate Pontifices Romani
 ad augendam & stabiliendam suam tyrannidem, ad
 exercendas & explendas suas profligatissimas libi-
 dines, crudeliter, & flagitiose sunt abusi, abdicatis
 imperio, & omni dignitatis gradu deiectis, et ad pu-
 ridissimorum pedum suorum oscula detrusis præ-
 stantissimis Regibus atq; Imperatoribus. Quæ frau-
 des, quæ mille flagitorum species, posteaquam illus-
 ciente Euangeliō Christi detectæ, & in apricum
 solem productæ sunt, iam illa iniusta & bruta ex-
 communicationis fulmina à Papisticis Salmoneis
 vibrata, & contra innocentes Christianos emissa,
 non magis quam puerorum crepitacula extimescens-
 da sunt: pīsq; omnibus illud, cum Davide dicens
 dicitur: Maledicant illi, tu vero benedicas Domine, ac
 illud Christi sedulō cogitandum; Alienos à Syna-
 gogis facient vos, sed & tempus veniet, ut quisquis
 interficiet vos, videatur cultum præstare Deo, &
 hæc facient vobis, quia non nouerunt neq; Patrem
 neq; me. Iesuitæ.

Psal: 109.
 Ioan: 16.

IESVITÆ.

EX SECUNDO CAP.

Qui vult omnes homines saluos fieri.

Vult equidem Deus, si simplicem eius, vel, (ut Damascenus loquitur) antecedentem voluntatem species, omnes homines saluos fieri: si autem, postquam quosdam sibi obtemperantes, quosdam autem repugnantes videt, quid velit, expendas (qua voluntas ab eodem dicitur consequens) illos quidem beare vult, hos vero tanquam iustus, ad supplicium damnare. Quare Amb. Chrisost. dura videtur eorum sententia, & his verbis Apostoli, & plarissim Theophil. cum Patribus contraria, qui Deum sine ulla peccati vel solius Originalis precognitione, hac causa quosdam ad damnationem destinasse ferunt, ut iustitiam suam manifestam reddat.

I.

Damal.li, 2. c. 29

RESPONSI.

ET si Damasceni interpretationem non prossus reiijciendam censemus, quemadmodum nec Scholasticorum distinctionem de voluntate signi, id est, significata in verbo: & voluntate beneplaciti, hoc est, absoluta & efficaci, cui nemo potest resistere: tamen ex aliorum similium locorum collatione, & ipsa Paulini contextus serie, commoditer & aptiore sensum proferre possumus, videlicet, quod Paulus non de singulis hominum personis, sed de omnibus hominū ordinibus loquac̄, hoc Aug. in Enchir. est, vt veteres loquebantur, non de singulis gene-

ad Lauren.c. 103,

rum, sed de generibus singulorum. Præceperat enim Paulus Timotheo solennes in Ecclesia precationes pro Regibus & Principibus concipere. Cum autem absurdum non nihil videretur, orationes ad Deum fundi, pro genere hominum prope tum temporis deplorato, quia non tantum à Christi corpore alieni erant, sed ad regnum eius opprimendum totis viribus enitebantur, subiicit, acceptum id esse Deo, qui velit omnes homines saluos fieri: quo nihil aliud significat, quam, nulli hominum ordini viam ad salutem præclusisse: sed gratiam suam in Euangelio ita cōmuniter omnibus offerre, ut nullum eius expertem esse velit, cuiuscunq; status sit & conditio-
nis, modo ille seipse ab vniuersali promissione Eu-
angelij non excludat, & tam benignè oblatam gra-
tiam nō ingratè respuat. Quid: quod verbum saluari, vel, (ut Latini loquuntur) seruari, non semper significat æternam salutem consequi, sed sæpius pro generali illa rerum omnium conseruatione & sustentatione accipitur: vt Psal. 35. Homines & ius-
menta saluabis Domine. Et hanc solutionem infra
Paulus ipse nobis in manum præbet, inquiens: Spe-
ramus in Deum viuum, qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium, id est, omnibus bene-
facit, fouens vitam, gignens fruges, seruans totum genus humanum, maximè vero iuuans Ecclesiam, in
qua non solum corpora fouet, sed etiam largitur æ-
terna bona. Sic hoc loco: Deus vult omnes homines saluos fieri, ad generalem totius humani generis conseruationem & sustentationem referri potest:
sicut Lutherus reddidit: Gott will / das allen
Menschen.

Menschen geholffen werdt. Et , ad agnitionem veritatis venire,hoc ad fideles , qui in æternum salubuntur,pertinet. Ita optimè hic locus cum illo altero congruit:Deus est saluator omnium hominum, maximè fidelium.Certè vtramcunq; harum duarum interpretationum sequaris,neutra est impia , neutra à Pauli mente aliena : vscq; adeò semper & vbiq; verum vero consonat. Hoc enim simpliciter & constantissimè verum est, Deum sua natura,& suo ingenio nihil aliud quam saluatorem , imò ipsam etiam salutem esse. Quod autem quibusdam hominibus, propter eorum ingratitudinem saluator non est, sed iudex & dominator, id nulla Dei,sed hominum culpa accidit,qui, quod Deus benignissimè offert, ipsi ingratisimè repellunt,& ceu pedibus detrudunt.

Paradoxon eorum, qui Deum sine vlla vlliis peccati præcognitione , hac causa quosdam ad damnationem destinasse ferunt , vt iustitiam suam manifestam reddat, à nobis non est profectum,ideocq; id suis authoribus defendendum relinquimus. Nā de vasis ad interitum apparatis,nos ita sentimus,Deum non facere talia,sed inuenire talia , & cum nihil honoris eis debeat, relinquere ea qualia inuenit : vtī autem ijs ad nominis sui gloriam , potentiam , & iustitiam declarandam. Vasa autem misericordiæ Deus non inuenit, sed creat talia,gratuito fauore , quibus nostas faciat diuitias inexhauste bonitatis ac misericordiæ suę. Cur autē alios tales relinquat,quales inuenit,iniustos nimirū & perditos:alios autē in iniustitia & perditione inuentos,nō relinquat, sed ad iusticiā regeneret, & ad salutē eternam præparet,nō cur-

H ij riosc

60 AD ASSERTIONES IESVI-

Rom.ii. riosc scrutamur , sed cum Paulo profunditatem dis-
uitiarum,& sapientie & cognitionis Dei,& inscrus-
tabilia iudicia & imperuestigabiles vias eius humis-
liter admiramur,& pie veneramur. Neq; enim oculi
noster propterea malus esse debet , quia ille bo-

An, de Prædest. & gratia, ca. 3. nus est. Nonne enim ei liberū est, vt debitas poenas
aut iustè reddat, aut misericorditer donet ? An aus-
debit debtor creditorē iniquitatis arguere , si altes-
ri donans, ab altero quod debebat exegerit ? Si er-
go inter contractus hominum, nullus ex hoc præ-
scriptioni locus est, vt à se dicat debtor iniustè exis-
gi, quia sit alteri debitori ab eodem quod debebat
creditore donatum : quis in tantam insaniam pro-
fanæ vociis erumpat , vt iniustitiae Deum arguat, si
vni indebitam donauerit gratiam , alteri reddiderit.
Aug. lib.1, de bo. debitam poenam ; Ergo (vt recte Augustinus mos-
no. Perseuerant. nisi cap. 11. net) misericordiam Dei in his qui liberantur, & ves-
ritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione cre-
damus , neq; inscrutabilia scrutari , neq; inuestiga-
bilia vestigare conemur.

I E S V I T Æ.

Unus mediator Dei & hominū Chri-
stus Iesus, &c.

II. Vox meā, quæ à nostro interprete mediator, à Tertulliano
sequester vertitur , quamvis singulari modo soli conueniat
Christo, vel quod ipse solus diuina humanaq; naturæ particeps
Tertul.li.adver. sit, ideoq; per se mediator, vt Tertullianus, Chrysostomus, Am-
Praxean. & de brosius,

brofius, Theophylactus, & Cyrillus aiunt: vel quod solus ipse resurrectione car-
nos omnes redemerit, vi Leo Pontifex, Epiphanius, Ambro-
fius, Hilarius, Augustinus, & Cyrillus, immo ipsem et Apostolus Chrysost. hom.
affirmat: tamen quod alijs sanctis, (diuersa quidem ratione) 7. in hanc epist.
tribui posuit, non solum ex eius Etymologia constat, sed etiam in eandem Cyril.
ex verbis illis Mos: Ego sequester & medius, fui inter vos & in Ioh. li. 3. c. 9.
Deum. Quare perperam Heretici detorquent verba haec, ad & li. 11 ca. 34. &
sancrorum intercessionem & patrocinium negandum. Leo sermo. 12. de
passi. domini. Epiph. haeres. 34. & 83. Amb. lib. 7. in Lucam. Hilarius in Matth.
cap. 14. August. ad Bonifac. lib. 4 ca. 4. Deut. 5.

RESPONSIΟ.

Vetus illa Sophistarum & rancida distinctionis
 cula inter Mediatorem redemptionis Christum,
 & mediatores intercessionis, sanctos mortuos,
 locum apud Christianos habere non debet. Nam
 cum Ioannes dicat: Si peccauerimus, aduocatus nos
 habere apud Patrem Christum Iesum, & Paulus se-
 dentem ad Patris dexteram etiam pro nobis inter-
 cedere affirmet, non temporariam certe, sed perpe-
 turam illi intercessionem assignant, quam nunquam ad
 alios reiicit, sed ipsem ea, cum fideliter tum con-
 stanter defungatur. Et cum hoc loco Christus unus
 cus Dei & hominum mediator nuncupatur, an non
 ratione precum & intercessionis mediator dicitur? Ita
 sane contextus postulat: nam paulo ante deprecationum,
 obsecrationum et interpellationum meminerat Apo-
 stolus. Postquam igitur pro omnibus hominibus interce-
 dendum esse praefatus est, nunc in eius sententiae

H. iii. confir.

confirmationem subiungit, vnum esse omnium Deum, & vnum mediatorem. Nec verò aliter interspretatur Augustinus, cuius hæc sunt verba: Homines Christiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic unus verusq; mediator est. Paulus Apostolus, quanq; sub capite præcipuum membrum, quia tamen membrum erat corporis Christi, & nos uerat, non per figuram in interiora veli ad sancta sanctorum, sed per expressam & firmam veritatem in interiora cœli ad sanctitatem non imaginariam, sed æternam, intrasse maximum & verissimum sacerdotem Ecclesiæ, se orationibus fidelit; ipse quoq; commendat. Nec mediatorem se facit inter populum & Deum, sed rogit ut omnia corporis Christi membra inuicem pro se orent, quoniam inuicem sollicita sunt membra, & si patitur vnum membrum, reliqua compatiuntur. Ac sic membrorum omnium adhuc in terra laborantium mutuae pro se inuicem orationes ascendant ad caput quod præcessit in cœlum, in quo est propiciatio pro peccatis nostris. Nam si esset mediator Paulus, essent utiq; & reliqui Apostoli. Ac si multi mediatores essent, nec constaret ipsius Pauli ratio, qua dixerat: Vnus enim Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, in quo & nos vnum sumus, si seruamus unitatem fidei in vinculo pacis. Idem Augustinus a libi: At verò sacerdotem (inquit) si requiras, super cœlos est, ubi interpellat pro te, qui in terra mortuus est pro te. Et mox: Sanctuarium cœli ingressus ad consummationem usq; seculorum solus populi eminus

Cor. 12.

Rom. 12.
In Psal. 94.

eminus in atrio residentis vota ad Deum refert. Et Lib. de Isaac &
 Ambrosius: Ipse (inquit de Christo) loquens, os nostra anima.
 strum est, per quod Patri loquimur: oculus noster,
 per quem Patrem videmus: dextera nostra, per quam
 nos Patri offerimus, quo nisi intercedente, nec no-
 bis nec sanctis omnibus quicquam cum Deo est. Hæc
 illi. Ridiculum autem est, quod Iesuitæ exemplum
 Mosis, qui dum in his terris superstes esset inter Deus
 um & populum, sequester esse solebat, ad mortuos
 rum sanctorum intercessionem detorquent, cum de
 his dicatur, Abraham nesciuit nos, & Israël ignorat
 uit nos. Cæterum, ut maximè sanctos mortuos suo
 quodam modo in cœlis coram Deo pro nobis orare
 fateamur, eos tamen ut inuocemus, nec ullum man-
 datum in sacris literis præcipit, nec promissio allicit,
 nec exemplum monet. Quomodo inuocabunt (in-
 quid Paulus) in quem non credunt? Non est autem
 in sanctos credendum, Quomodo igitur essent in-
 uocandi? Et cum necesse sit, ut qui inuocatur, sit
 scrutator cordis (oratio enim est eleuatio mentis ad
 Deum) non debent sancti inuocari, quia non sunt
 cordium scrutatores. Iam quæ à nostris ex Ambro-
 sio, Augustino, Epiphanio, alijsq; Patribus contra
 sanctorum vel intercessionem vel certe inuocatio-
 nem adferri solent testimonia, vulgo ita sunt nota,
 ut repetere illa pigate. Lectorem igitur ad scripta
 nostrorum præceptorum remittimus, & ut tot alle-
 gationes Iesuitarum in margine positas sanctorum
 patrocinio nihil patrocinari cogitet, monemus,
 quod & suprà in Præfatione monuimus: & nunc ora-
 dine ac sigillatim ex testimonij Patrum, quot
 qnidem.

Esa. 63.

Rom. 10.

quidem ad manum habemus, monstrabimus.

Tertullianus libro aduersus Praxeian. Apostolus (inquit) Dei & hominum appellans sequestrem, ut triusque substantiae confirmauit.

Idem lib. de resurrectione carnis dicit: Christum esse sequestrem Dei atque hominum, ex utriusque pars deposito sibi commisso. Et consolatione plenissimum est, quod de Christo ait: Carnis quoque depositum seruat in semetipso, arrhabonem summæ totius: sed de sanctorum intercessione, ne gry quidem.

Chrysostomus in hunc locum docet, Christum ideo habere duas naturas, ut verè possit esse mediator. De intercessione autem sanctorum, nullum habet iota.

Cyrillus in Ioannem lib. 3. ca. 9. inquit: Nam quoniam prudenter maiora illa videre ac audire populus recusabat, que magnitudine visionis intolerabili illi fuerunt, mediatio Moseos, cuius ministerio divina præcepta populo deferebantur, tunc intercessit. Quæ res FIGVRABAT MEDIATOREM DEI ATQUE HOMINVM, qui natus ex muliere propter nos, Neipatrī voluntatem notam ei ut filio, ut sapientia Dei, voce humana, ut verè homo, nobis profecit. Et paulò post: Mediatio igitur Mosis inter Deum & Iudeorum populum mediatoris Christi figura erat, sed illa quidem ministri modo adhibita, seruulis fuit: libera vero hæc Christi & mystica. Mediator enim hominum atque Dei factus, verè utrancque naturam attingit, &c. Haec tenus Cyrillus. Sed quid hæc ad Papisticam sanctorum intercessionem?

Idem lib. 11. in Ioan. cap. 34. Vnum enim mori oportuit,

portuit, sufficientem pro vita omnium redemptore,
vt & mortuorum & viuorum imperium acciperet.
Ne quis illud RIDICULVM verum esse putaret, As-
postolorum mortem ad destructionem interitus a-
liquid contulisse, cum liberatis enim ab interitu,
etiam Apostoli iure connumerantur. Vnius enim
nobiscum illos naturae fuisse constat, in quos imperi-
um mors suum exercuit: Solus ergo qui ex viuo Pa-
tre est, pro vita omnium carnem tradidit suam, &c.
Si multa huiusmodi testimonia Iesuitae allegare per-
reixerint, praeuaricari videbuntur, et ad Lutheranos
velle deficere. Caveant igitur, ne Latialis Jupiter e
vaticano suo monte fulmen excommunicationis in
ipsos ei aculeetur, dum quasi insciij & inuiti, Caiaphæ
instar, veritati testimonium dicunt.

Idem lib. 1. de Trinitate, eadem de Mose scribit,
quaè suprà lib. 3. in Ioan. cap. 9. Quod scilicet Moses
sua mediatione fuerit typus Christi. Quid autem
hæc ad sanctorum intercessionem attinent?

Epiphanius hæresi 34. nihil dicit, quod ad præ-
sentem Theslin vel astruendam, vel impugnandam
faciat.

Quod autem 33. hæresin citant, ridiculum est. Pu-
sto autem illos 38. allegare voluisse: in qua dicit, Christum
seipsum tradidisse in mortem crucis non ne-
cessitate sed voluntate, vt contingere nobis salus.
Sed quis hoc negat? Intercessionem sanctorum, nō
redemptionem Christi, probare debuissent Iesuitæ,
si suæ reconditæ eruditio[n]is thesauros ostentare
voluissent.

Hilarius in Matthæum cap. 14. dicit, Christum

I. SOLVM.

SOLVM redemisse nos, nec quenq; habuisse ea in re socium. Sed hoc ipsum est quod contra Papistas tam frequenter & diligenter inculcamus: ut à quo solo redempti sumus, is idem solus noster corā Deo mediator & deprecator habeatur.

Augustinus ad Bonifacium lib. 4. cap. 4. prolixè disputat contra Pelagianos, qui infantes peccato casare dicebant, eosq; cum Manichæis confert, dicens: Pelagianos Manichæis nihilo meliores esse. Ut enim Manichæi negant, corpus infantis à Deo creatum, ita Pelagiani non concedunt, vt infantes à Christo sanentur. Ac inter cætera dicit de Christo: Sicut enim solus (inquit) ideo factus est hominis filius, vt nos per ipsum filij Dei fieremus: ita SOL VS pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, vt nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam: quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali. Hanc singularem mediatoris prærogatiuam (quod scilicet ipse innocens pro necessitatibus moritur) Pelagiani euacuare conantur, &c. Cæterum, de intercessione sanctorum nullam ibi syllabam inuenias.

I E S V I T Æ.

Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus.

III.

Priuatas quidem preces ubiq; locum babere, per se manifestum

Festum est, si tamen de publicis (nam de his Ambrosius & Chrysostomus verba huins capitis interpretatur) haec accipiamus, vult Apostolus, non tantum in templo Hierosolymitano, ut Iudei, vel in monte Garizim, ut Samaritani solebant, Deum orari posse, sed in omni loco ad id delecto & dedicato. In epistola igitur Hæretici, verbis istis abutuntur, ad sanctitatem templorum tollendam, quæ Deo consecrata sunt, et sacras Diuorum continent reliquias. Nec prætermittendum est, precando manus attollere, quemadmodum & in genua procumbere, cæremoniam fuisse Apostolis, & ceteris Christianis, olim satis familiarem.

Luc. 22.
Act. 7, 9, 20, 21.

RESPONSI.

CVM Paulus velit, ut in Ecclesia omnia desuper 1, Cor. 14.
center & secundum ordinem siant, minimè res
pugnamus, quo minus in templis, in quibus publici
cœtus Ecclesiæ congregantur, publicæ preces sian
& semper nobis displicuit fanaticus & vesanus
Enthusiastrarum quorundam Spiritus, qui in tem
plis orare prohibent, siquidem Deus ipse de tem
plo Hierosolymitano pronunciauit: Domus mea
domus orationis vocabitur. Et Paulus in templo nō
impie legitur orasse. Et ante hunc Petrus quoq; & Act. 21.
Act. 3.
Ioannes in templum ascendisse perhibentur, circa
horam precationis nonam. Vnde & sacrae ædes ap
pellantur, quia verbo Domini & oratione sanctifi
cantur, vt nobis earum usus licitus, purus & sanctus
sit. At vero, quemadmodum Enthusiastrarum fur
res damnamus; ita è regione Hypocritarum super
stitionem.

stitionem non possumus non improbare. Hi enim publicas preces contra expressam Christi & Pauli sententiam, certis locis, nimium profecto superstitione affigunt: In omni loco (inquiunt Iesuitæ) ad id delecto & dedicato. Quis vero, hypocritæ, verbo Domini vos adiçere aliquid iussit, quod Deus ipse nefas esse pronunciat? Paulus enim disertè ad exclu-
 dendum omnem Iudaicam & Papisticam superstitionem ait: In omni loco, vos autem ad stabiliendā superstitionem de vestro additis: Ad id delecto & consecrato. Sed quid Psaltes? Domini (inquit) est terra & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Si Domini est vniuersa terra, & totus terrarum orbis, cur non in omnibus locis quandocumq[ue] res & necessitas exigit, vel priuatim singulis, vel publice vniuersis, ut exempli gratia, toti alicui exercitui, toti simul in eadem naue periclitanti turbæ orare liceat? Mundis, inquit Paulus, omnia munda, cur non & quælibet loca? Ac si cibi sanctificantur per sermonem Dei, ac precationem, cur non etiam mare & arida, cur non sylvae, montes, valles, deniq[ue] omnia loca in terris hoc modo sanctifi-
 ficarentur? Grauiter ab Esaia & Stephano repre-
 hensi sunt hypocritæ inter Iudeos, qui Deum in templis manufactis habitare, & ceu parietibus tem-
 plorum includi putabant. Eandē reprehensionē in-
 currūt Iesuitæ, dum publicas preces ad delecta & dedicata loca alligāt: quasi quæ à cornuto Episcopo aut indocto suffraganeo aqua benedicta aspersa, & alijs puerilibus Cæremonijs dedicata, aut sanctorum vel
 veris vel ementitis reliquijs & donarijs ornata lo-
 ca sint,

Psal. 23.

Tit. 1.

1. Tim. 4.

Esa. 66.

Act. 7.

ca sint, ea propria sint Dei habitacula, vnde proprius aurem nobis admoueat, aut secreta nescio quæ vis illis inhæreat, quæ sacratiōes & acceptiōes apud Deum preces nostras reddat. Nos vero illa crassa, et rudi superstitione Ethnicis, Iudæis, Turcis & Pag⁹ pistis relicta, scimus veros adoratores, citra loci discretionem, Patrem adorare in spiritu & veritate: *Ioan. 4:22*
 scimus, cūm vera Dei templa simus nosipſi, nobis intra nosipſos orandum esse, si in sancto templo suo Dēum inuocare velimus. Externam autem pædagogian, vt inter orandum manus attollantur, genua submittantur, neq; nos repudiamus: modò ne in illis summa Christianismi, & prora & puppis piarum precum collocetur: sed his cæremonijs, cū alpha & betarijs rudimentis, tum ad descendam veram animi humilitatem, tum ad excitandam seriam & ardentem eleuationem mentis ad Deum, vt amur: illam enim genuflexio, hanc manuum sublatio ac (vt Poëta canit) tensæ ad sydera palmæ significant.

I E S V I T Æ.

Docere mulieri non permitto.

III.

Mulier & vir sexum hoc loco, non coniugium designant: nō enim nuptiis tantum, sed & omnibus mulieribus, iuxta communes Dei naturæ leges conuenit subiectio, & silentium, in cœtu virorum, & docendi potestas adempta est. *Deus tamen, qui suis legibus non tenetur, Delboram populo suo præfecit, & Iud. 4:10. Holdam spiritu Prophetico decorauit: & quarundam opera in 2 Reg. 22.*

I iii nono

novo testamento, publicis in Concionibus usus est, paucarum
 tamen priuilegium, communes leges non infringit. Aduerte
 Ger. 3.
 sedulo pie Lector, diuinam hic & naturalem ab Apostolo pro-
 mulgari legem: ut hinc intelligas, in quorum numero habendi
 sint, qui procacibus mulierculis Sacerdotium tribuunt, quod
 apud ipos in concionando tantum positum est.

RESPONSO.

Dicite Io pæan, & Io bis dicite pæan. Nam
 tandem Iesuitis aliquid verum & sanum exci-
 dit. Hanc enim totam Thesin acceptamus, si illud de
 muliercularum Sacerdotio sine calumnia intelliga-
 tur. Videntur sanè, ne vna aliqua positio non satis
 virulenta sit, postremis verbis Lutheranos, quos vo-
 cant, velle pungere. Lutherus enim recte ex sacra-
 rum literarum fundamentis, & ipsa cum primis Dis-
 ui Petri sententia, docuit, in novo testamento om-
 nes Christianos esse Sacerdotes, tam mulieres quam
 viros. Per sacerdotium autem non intelligit publico-
 cum ministerium in Ecclesia concionandi & admi-
 nistrandi Sacramenta, sed illud ipsum quod Petrus
 ait: Ipsi quoq; veluti viui lapides ædificemini, do-
 mus spiritualis, sacerdotium sanctum ad offeren-
 dum spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum
 Christum. Et mox: Vos autem genus electum, rega-
 le sacerdotium, gens sancta, populus qui in lucrum
 accessit, ut virtutes prædicetis illius, qui è tenebris
 vos vocauit in admirabilem suam lucem. Hoc sacer-
 dotium qui mulieribus adimit, simul etiam Christia-
 nismum:

nismum ijsdem adimit: qui tribuit, non propterea ministerium Ecclesiasticum tribuit, hoc enim nusque in nouo testamēto Sacerdotium appellatur, nec ministri Sacerdotes, sed Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, Pastores, doctores, Episcopi dicuntur, vntis Ephes. 4.
 autem Sacerdos Christus, qui seipsum in ara crucis obtulit. Nec quisque apud nos dixit, Sacerdotium tantum in concionando positum esse, altoquin omnes & singuli Christiani ad concionandum essent obstricti. Quo quid esset absurdius: cum Paulus ma- 1. Cor. 14.
 nifeste dicat: Prophetæ duo aut tres loquantur, cœteri dijudicent.

De Pepuzianis quidem scribit Augustinus, eos August. de hæc tantum dare mulieribus principatum, vt sacerdotio ref. ad quod quoque apud eos honorentur. Dicunt enim, Quintil. vult Deum, hæc Iæ & Priscillæ in ciuitate Pepuza, Christum specie ref. 27. fœminæ reuelatum. Sed cum his portentosis Enthusiastis nihil nobis est commune. Videant autem Pa- pistæ, ne ipsi denuo fœminam, & quidem meretricem, creent, non tantum sacerdotem, sed etiam sacerdotum Principem. Nec enim ipsis ignotam esse arbitror Platinæ historiæ de Ioanne octauo: qui tam fœcundus ac benignus pater extitit, vt etiam pepererit, & nouum morem explorandi sexum masculinum in Pontificibus post se reliquerit.

IESVITÆ.

EX C A P. III.

Fidelis sermo, si quis Episcopatum, &c.

Sive

I.

Sive cum Theophylacto, Beda & Oecumenio, Episcopi nomine, Presbyteros omnes comprehendamus, sive (quod Apostoli verbis, & interpretationi Chrysostomi & Ambrosij magis est consentaneū) tantum Antisitites et Presbyteros illos, qui ab ipsis ad vicos & pagos vicinos, doct̄i gratia mittebātur, constat Presbyterorum inferiorum gradum, bic aperte nō exprimi, nō quod potestate pares sint cum Episcopis (ut cum Aerio iam olim damnato noui docent Euangelici) sed quia, quae de Episcopis pricipiantur, eadem ferè ceteris Presbyteris conueniunt:

Epiph. hæres. vel quia tempore illo (teste Epiphanio) propter penuriam vi-
 75. Aug. hæres. rorum & Ecclesiæ inopiam, Episcopi Presbyterorum, Diaconi.
 53. Dionys. Ec- verò reliquorum ministrorū munera obirent. Episcopos autem
 cles. Hierarch. c. 5. & 6. Epiph. esse primos Presbyteros, & institutione Christi reliquis Pres-
 vbi supra. Cle- byteris functione atq; dignitatis gradu superiores, compertum
 ment. epist. 1. ad eccl. Illorum enim eccl. (teste Dionysio) perficere, atq; Patres
 Jacob. Anacle. & Doctores. (ut Epiphanius ait) Ecclesia procreare, hi verò
 epist. de Patriar. primatibus &c. potestatem huiusmodi nullam habent: illi Apostolis (Clemen-
 Vrb. epist. de te, Anacleto, Urbano, Damaso, Ambrosio, Theodoreto, Beda,
 communī vita Isidoro, testibus) hi verò discipulis alijs succedunt.
 etc. Dama. epist. de Coepiscopis, Amb. in 12. ca. 1. ad Cor. Beda lib. 3. super Luc. c. 15. Theod. in 3. c. 23. cap. 4. & Can. 6. & 7.

RESPONSIO.

HIC iam, quod faustum fœlixq; sit, ad Hierarchi-
 am Ecclesiasticam deuenimus: pro qua lesuitæ
 tanq; pro aris & focis dimicant: quanq; de focis cer-
 té magis quam de aris sint solliciti. Vident enim, si
 ille, de humano ingenio confictus & falso sacer nuns-
 cupatus ordo concidat, futurum, ut culinæ ipsorum
 non.

non minus quam glacies , frigeant ; vident quam
innumer a ociosorum hominum turba , ad stiuam es-
setableganda , quæ iam sub septemplici clypeo sep-
tem ordinum delitescens , ab domini suo viruit , iuxta
illud Apostoli : Quorum Deus venter est . Vulgo Phil. 3.
autem gradus , per quos ad Sacerdotij fastigium as-
cenditur , numerantur hi : Ostiarius , Lector , Exor-
tista , Acolutus , Subdiaconus , Diaconus , Presbyter .
Hic autem supremus gradus adeo fœcundus est , ut
ex se alios septem , maiores se prosignat : sequuntur
enim Episcopi , Archiepiscopi , Primates , Patriar-
chæ , Cardinales , Papa : qui , vt glossa in proemio
Clementinarum habet , dicitur à papæ , interiectio
ne admirantis , quia est verè admirabilis vicarius
Dei in terris . Vnde dicit ille Anglicus in Poëtria
noua : Papa stupor mundi . Et circa finem : Qui maxi
me rerum , nec Deus es nec homo , quasi neuter es in
ter vtruncq . Ex qua glossa colligitur , totius ordinis
Hierarchici supremum fastigium , hoc est , Papam ,
cum nec Deus nec homo sit , sed inter vtruncq neuter ,
esse aliquid bono Angelo deterius . Inter hos aus-
tem siue septem siue quatuordecim , siue quotcunq
numerare placet ordines , tres tantum sunt , quorum
in scripturis noui testamenti habetur mentio , quo-
rumq in Ecclesia usus semper extitit , Diaconatus
nimurum , Presbyterium , & Episcopatus . Hæc tamē
duo postrema non ita subtiliter discernuntur , ut nō
interdum alterum pro altero accipiatur : sic vt Epi-
scopus & Presbyter non tam sint diuersarum fun-
ctionum , quam ætatum nomina : cum Episcopus
vel iuuenis vel senex esse possit , Presbyter autem

non nisi senior. Et Iesuitæ ipsi fatentur, quæ de Episcopis præcipiuntur, eadem ferè Presbyteris conuenire. Adhæc fatentur, olim propter penuriam viorum, et Ecclesiæ inopiam, Episcopos Presbyterorum munera obire solitos. Simul ergo fateri eos necesse est, Ecclesiæ diuitias & virorum Christianorum turbam, nō aliquid vel Christi vel Apostolorum mandatū hoc disserimē Episcopalīs & Presbyteralīs dignitatis peperisse. Cur igit̄ sui ipsorum mox obliuiscuntur, cum affirmant, INSTITUTIONE CHRISTI Episcopos reliquis Presbyteris functione atq; dignitatis gradu superiores esse: vbi autem, obsecro, Christus vñq; vnum verbum, vel vnum saltem iota de Episcopis vel Presbyteris protulisse apud Euangeliastas legitur? Hic ad ineptam allegoriam, aut claudicantem similitudinem confugiunt. Episcopi (inquieti) Apostolis, Presbyteri vero alijs discipulis, septuaginta illis scilicet, succedunt. O dictum acutæ. At si authores quæras huius *λόγου πατούσι*, pro Christo tibi nescio quem Clementem, pro Mattheo Anacletum, pro Marco Urbanum, pro Luca Damasum, pro Ioanne Ambrosium, Theodoretum pro Paulo, Bedam pro Petro, Isidorum pro Iacobo substituunt. Sed age, condonemus hoc ipsorum nimia & superstitione erga Ecclesiasticos scriptores (quorum multa opuscula nostra circumferuntur) reuerentia, condonemus antiquo, & multis seculis inuentato mori, pro scripturis Canonicis dubia incertæq; fidei scripta, hominum, nonnunq; dormitantium, allegandi. Hoc vero nullo modo excusari potest, quod impudenter vociferantur, esse damnatam,

& post

& post Aërium à nouis Euangelicis resuscitatum
heresin, Presbyteros Episcopis potestate æquipara-
re. Scimus quidem Epiphanium nimis præcipitan-
ter damnare, cum alia non impia, tum hoc etiam
Aërij. Quid est (inquit Aërius referente Epiphas-
nio) Episcopus ad Presbyterum? Nihil differt hic
ab illo: unus enim est ordo, & unus honor, & una
dignitas. Imponit manus Episcopus, ita etiam Pres-
byter: lauacrum dat Episcopus, similiter & Pres-
byter: dispensationē cultus diuini facit Episcopus,
& Presbyter similiter: sedet Episcopus in throno,
sedet etiam Presbyter, &c. Hunc sermonem furio-
sum magis esse, quam humanæ conditionis, pronun-
ciat Epiphanius. Hunc sequitus ceu Abbreviator
Hæresēon Augustinus: Diebat (inquit) Presbyter-
rum ab Episcopo nulla differentia debere discerni.
Modestius certè loquitur Augustinus quam Epis-
phanius, & Aërij dogma magis pro errore quam
pro hæresi habere videtur. Sed opponamus istis
Hieronymum, ætate inter illos duos medium, eru-
ditione si non vtrisq; alteri tamē parem, ambobus
certè non inferiorem, tum vero ipsorum Romanen-
sium iudicio, dignitate illis tanto superiorem, quam
to Galerus Cardinalitus Mitra Episcopali est ho-
noratior. Hic igitur in Epistola ad Oceanum sic
scriptum reliquit: In vtracq; Epistola, sive Episcopi,
sive Presbyteri (quamq; apud veteres ijdem Presby-
teri & Episcopi fuerint, quia illud nomen dignita-
tis est, hoc ætatis) subentur monogami in clerum
eligi. Audis clare asseuerantem Hieronymum eos-
dem fuisse Episcopos & Presbyteros apud veteres,

Hi ergo veteres ex Iesuitarum sententia, fuerunt
haeretici, fuerunt Aëriani, fuerunt noui Euangelici.

Idem Comment. in Epistolam ad Titum

Cap. 1.

Diligenter (inquit) Apostoli verba attendamus,
dicentis : Ut constitutas per ciuitates Presbyters
ros, sicut ego tibi disposui. Qui, qualis Presbyter
debeat ordinari, in consequentibus differens, hoc
ait : Si quis sine criminе vnius vxoris vir, &c. Po-
stea intulit : Oportet enim Episcopum sine criminе
esse, tanq; Dei dispensatorem. ID BM BST ERGO
PRESBYTER, QVI ET EPISCOPVS, & antequam
Diaboli instinctu, studia in religione fierent, & di-
ceretur in populis : Ego sum Pauli, ego Apollo, ego
autem Cephæ , communi Presbyterorum consilio
Ecclesiæ gubernabantur. Postq; verò vnuſquisq;
quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi, in
toto orbe decretum est, ut vnuſ de Presbyteris ele-
ctus superponeretur cæteris, ad quem omnis Eccle-
siæ cura pertineret, & schismatum semina tolleren-
tur. Putat aliquis non scripturarum, sed nostram esse
sententiam, Episcopum & Presbyterum vnum esse,
& aliud ætatis, aliud esse nomen officij, relegat A-
postoli ad Philippenses verba , dicentis : Paulus &
Timotheus serui Iesu Christi , omnibus sanctis in
Christo Iesu , qui sunt Philippis , cum Episcopis &
Diaconis, gratia vobis & pax, & reliqua. Philippis
vna est vrbs Macedoniae , & certè in yna ciuitate
plures, ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant.

Philip. 1.

Sed

Sed quia eosdem Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis, quasi de Presbyteris est loquutus. Ad huc hoc alicui videatur ambiguum, nisi altero testi monio comprobetur. In actibus Apostolorum scriptum est, quod, cum venisset Apostolus Miletum, miserit Ephesum, & vocauerit Presbyteros Ecclesiae eiusdem, quibus postea inter cætera sit loquutus. Attende vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos pascere Ecclesiam Domini, quam adquisiuit per sanguinem suum. Et hinc diligenter obseruate, quomodo unius ciuitatis Ephesi Presbyteros vocans, postea eosdem Episcopos dixerit. Si quis vult recipere eam Epistolam, quæ sub nomine Pauli ad Hebraeos scripta est, & ibi æqualiter inter plures Ecclesiæ cura diuiditur, siquidem ad plebem scribit: Parete Principibus vestris, & subiecti estote. Ipsi enim sunt, qui vigilant pro animabus vestris, quasi ratione inutile reddentes, ne suspirantes hoc faciat, siquidem hoc utile vobis est. Et Petrus, qui ex fidei firmitate nomen accepit, in Epistola sua loquitur, dicens: Presbyteros ergo in vobis obsecro Compresbyter, et testis Christi passionis, qui & eius gloriae, quæ in futuro reuelanda est, socius sum: pascite eum, qui in vobis est gressus Domini, non quasi cum necessitate, sed voluntarie. Hæc propterea, ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos: paulatim vero, ut dissensionum plantaria euellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam: Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine

tudine ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, ita Episcopi nouerint, SE MAGIS CONSVERTVDINE, QVAM DISPOSITIONIS DOMINICÆ VERITATÆ. Presbyteris esse maiores, & in cōmune debere Ecclesiam regere, imitantes Mosen qui cum haberet in potestate solus præceps populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret. Hactenus Hieronymus.

Obscro te, quisquis es pie Lector, posco etiam à te impie Iesuita, vt hæc dicta Hieronymi non tantum à verbis, quæ sanè prolixia sunt, numeres, sed à momento etiā atq; grauitate eorum ponderes. Primum claris verbis, non semel, sed bis, sed ter adfirmat: Eundem esse Presbyterū, quem & Episcopum. Deinde addit, hanc sententiam non esse suam, sed scripturarum: idq; authoritatibus tam Petri quam Pauli comprobat. Tertio demonstrat, apud veteres quoq; eisdem pro Episcopis & Presbyteris fuisse habitos. Postremo fatetur discrimen quidem factum esse inter Presbyterū et Episcopū, hoc autē factum esse nō dominicæ dispositionis veritate, sed consuetudine, idq; tum demum, cum Diaboli instinctu studia in religione fierent, scindereturq; (vt ille ait) studia in contraria vulgus. Eant nunc Iesuitæ, damnataq; haereseos, & noui nescio cuius Euangelij arguant, qui docent, non esse diuersos gradus Presbyteri & Episcopi in Ecclesia. Hæretici ergo erunt & noui Euāgelij sectatores, veteres omnes, apud quos Hieronymus testatur, eundem esse Presbyterū, quem et Episcopum: Hæreticus est & noui Euāgelij Doctor, Paulus; Hæreticus est, & noui Euāgelij fautor

fautor Petrus: Hæretica est & à vero vetusto Eu-
angelio aliena , veritas diuinæ dispositionis : deniqp
hæreticus est & noui Euangeli author Spiritus ipse
Christi , à quo afflati , & ex quo loquuti Paulus &
Petrus, ex eiusdem instinctu & dictato scriptis pro-
diderunt, eundem esse Episcopum & Presbyterum.
En, quam pulchram telam Hæreticorum texant Ies-
uitæ?

Non possum omittere, quin & Lyrani expositio-
nem in hunc locum adferam. Dicunt (inquit) hic a-
liqui , quod per Episcopatum intelligit Sacerdoti-
um, quod est etiam officium intendendi salutis populi
li sibi commissi , quia immediate post agit de statu
Diaconi. Et non est verisimile , quod scribendo de
statu Episcopi statim transiret ad statum Diaconi,
sacerdotio prætermisso. Et mox: Potest conuenien-
ter dici, quod instruit eum de utroqe, sub nomine Es-
piscopi Sacerdotis officium comprehendens : quia,
sicut est dictum, ad officium utriusqe pertinet super-
intendere populo : magis tamen extensiù ad offici-
um Episcopi, scilicet in tota Diocesi sua, ad officium
vero Sacerdotis, in una Parochia, &c. Vides rursus
Lector, Lutheranos non propterea esse hæreticos,
quia Episcopum & Presbyterum apud Paulum pro-
codem habeant.

Sed age, fingamus & demus paulisper suisse in
primitiua Ecclesia distinctos ordines & gradus
Presbyterorum atqe Episcoporum, hodieqe etiam es-
se & permanere debere: num tamen propterea, qui
hodie his nominibus in Papatu appellantur, verè es-
tunt, quod dicuntur, Presbyteri & Episcopi , cùm
nec

nec doctrina nec moribus tales sint, quales Paulus describit? Quorsum igitur opus est diu multumq[ue] disceptare, de ipsis nominibus & discriminatis gradibus Presbyterorum & Episcoporum; cum hodie in Papatu tales monstrari nequeant, qui id sint quod prae se ferunt, sed plaricq[ue] (vt Seneca inquit) personam malint quam faciem. Itaq[ue] exhibeant nobis prius Jesuitæ veros Presbyteros & Episcopos, tum nō tatum Episcopum Presbytero superiore agnoscamus & venerabimur, verum etiā, si sic ipsis placeat, utrosq[ue] tum Cardinalibus, tum Cardinalium creatori, summo Pontifici, anteferemus.

I E S V I T Æ.

Unius uxoris virum.

II.

Quando necessum fuerit, ut ex his qui mariti sunt, aut fuerint, aliquis fiat Episcopus, cauet his verbis Apostolus, ne is Digamus sic, sed unas tantum experius nuptias. Effe autem verba haec hoc modo interpretanda, ex eodem Apostolo constat, cum paulo inferius eandem ferat legem de viduis, & ex Paulis bus ferè omnibus, Clemente scilicet, Siricio, Innocentio primo, Hime, Tarracō, Tertulliano, Heronymo, Ambroso, Augustino, Primo, Se- Epis. Innoc. epi. dulio, Anselmo, Haymone atq[ue] Patribus Concilij Agatensis: & 3. ad Exupe. ex Gracis, Origene, Epiphanio, Oecumenio, cum quibus Chrysostomus & Theophylactus numerandi sunt, qui, et si quandam episc. Zach. epi. aliam attingant interpretationem, hanc tamen libentius amad Bonifac. plectantur. Sententia vero nouorum Euangeliorum, qui Tertul. lib. 1. ad verbis his præcipi ajunt Presbyteris coniugium, Vigilan- vxorem; Hiero. tium.

Cap. 5. Clem.
Const. lib. 2. ca.
2. Serit. epist. ad
Hime. Tarracō.
Epis. Innoc. epi.
3. ad Exupe.
Leo epist. 82. ad
Anast. Thess.
episc. Zach. epi.
ad Bonifac.
Tertul. lib. 1. ad
vxorem; Hiero.

tium quidem ducem habent, Catholicorum vero neminem. ad Gerunt. August. de bono coniug. cap. 18. Orig. cont. Celsum. Epiph. heret. Catharorum. Reliqui in hunc locum. Concil Agath. c. 1. 9. 16.

RESPONSIΟ.

DVos constat esse neruos regni Pontificij: alterum, Hierarchicum ordinem, quo se vincta & rasa cohors sacrosanctam & inuiolabilem fecit: Nos lice (inquiunt) tagere Christos meos. Alterum: Coelibatum, quo id effecerunt, primum, ut sine curis & communibus molestijs humani generis vitam Epicuream degerent: deinde, ut opes illae Ecclesiasticae, Persica Gaza maiores, perpetuae essent, ac nunquam deficeret, quod Epicuri de grege porcis alendis sufficeret. Cum autem impuro suo coelibatui maximè hunc Apostoli locum obstare viderent, quo Episcopum describit unius vxoris virum, varijs & indignis modis eum interpretati sunt. Alij enim omnia in intempestiuas allegorias commutare soliti, per unius vxoris virum, unius Ecclesie pastorem intelligendum esse voluerunt. Quod figmentum omnes negantur huius loci respuunt, & illud praesertim, quod de propria domo curanda, regendaque subsequitur. Si quis (inquit) proprię domini praesse non nouit, quomodo Ecclesiam Dei curabit? Ideoque iam Papistas ipsos istius delirationis suppuderunt: Alij dictum Pauli ita interpretantur, quasi excludere vos iuerit vxorum pluralitatem, non autem admittere unitatem. Sed facile est cernere, isthoc glossemate

L vim

vim apertam fieri verbis Paulinis, quibus Episcopo
 vxor vna conceditur. Sunt qui Paulum dicant ad-
 mittere quidem ad Episcopatum eum, qui aliquan-
 do vxorem habuerit, non autem qui iam nunc habes-
 at: ita hanc vxoris unitatem ad tempus præteritum
 referunt, ut qui Episcopus sit futurus, ei impedimen-
 to esse non debeat, fuisse aliquando monogamum.
 Verum & hoc glossema verbis Paulinis confuta-
 tur. Non enim dicit: oportet fuisse, sed, oportet esse:
 Et paulo post cum de Diaconis loquitur, præsenti
 verbo vtitur, inquiens: Diaconi sint vnius vxoris
 mariti. Et ad Titum: Si quis est inculpatus, vnius vx-
 oris vir. Ac ne cauillationibus locus relinquere-
 tur, Paulus ipse cauere voluit, effectis matrimonij
 in medium prolati, prole scilicet ipsa, ex qua bene
 & recte educta, argumentum sumit boni Episcopi:
 contra, ex eadem male & ad turpitudinem institu-
 ta, mali & nequam Episcopi. Alij harum ineptiarum
 pertensi, pulchre sibi sapere visi sunt, si huc monoga-
 mu tantum, ad Episcopatum à Paulo admitti dices-
 rent, arceri vero eum, qui secundas esset expertus
 nuptias, quem ipsi, & mali Grammatici, & non boni
 Theologi bigamum vel digamum vocarunt. Hos
 inter Iesuitæ lunt, qui, quanto illis in linguarum co-
 gnitione praestant, quantoq; fœliciori tempore vi-
 uunt, quam alijs aliquot ante seculis vixerunt, tanto
 minus excusationis merentur in peruersitate sua,
 quia in claram lucem obscuras densasq; tenebras in-
 ferunt. Perspicuum enim est, Apostolum simpliciter
 hoc velle, ut Episcopus simul non habeat plures ux-
 ores, quemadmodum tunc quidam ex Iudeis, qui-
 dam

Tit. i.

dam etiam ex Gentibus conuersis adhuc habebant. Nam apud Iudeos quidem, ex peruersa Patrum imitatione, quibus quod licuisset, idem sibi quoq; licere arbitrabantur, polygamia propemodum pro lege obtinuerat: apud Gentes vero, & cumprimis orientales, plerunq; non ea religione & fide colebant matrimonia qua decebat. Ergo, ne de impudicitia et leuitate suspectus sit Episcopus, vult Paulus Episcopum non esse polygnum, hoc est, simul uno & eodem tempore plurium vxorum, quam unius, maritum. Itaque etsi accesserint interdum secundae aut tertiae nuptiae, aut si vidua ducta fuerit, in hanc sententiam Pauli non admissum erit crimen, modo Episcopus simul non habeat plures uxores, sed unam. Non enim secunda uxor, minus quam prima tum in adiutorium (ut olim loquebantur) tum in remedium data est: & si semel melius est nubere quam viri, certe & secunda vice melius erit, ac si primum consilium honorabile est, secundum quoq; nemini, nisi Montani deliria sectanti, probrosum erit ac ignominiosum. Volo (inquit Paulus infra) iuniores vi 1. Cor. 7. duas nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare aduersario, ut habeat maledicendi causam. Cur non etiam iuniores viduos hoc priuilegio viri concedes, si non singulari dono continentiae praediti sint: Alibi enim pronunciat Apostolus: Vnusquisq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius sic. Et statim: Dico autem inconjugatis & viduis, bonum est eis, si manserint, ut & ego: QVOD SI NON CONTINE NT, MATRIMONIVM CONTRAHANT. Cur tu coiuugium etiam

L ii secundum

secundum illis negabis, quibus tu donum continens
tix, quo fortassis ipsem et cares, tribuere non potes.

Sed ne videamur omnibus veterum scriptorum Ecclesiasticorum suffragijs destitui, age quid de hoc loco Pauli Hieronymus senserit, expendamus: cuius testimoniorum tanto maioris poteris in hac causa erit, quanto alias hic vir non tantum secundis verum etiam primis nuptijs, & non sacerdotum modo, verum etiam aliorum hominum coniugio iniquior esse solet. Sic igitur eo ipso libro, quo virginitatem propre supra coelum efferre conatur, aduersus Iouianum scribit: Si Samuel nutritus in tabernaculo, duxit vxorem, quid hoc ad praeiudicium virginitatis? Quasi non hodie quoque plurimi sacerdotes habeant matrimonia, & Apostolus Episcopum describat unius uxoris virum, habentem filios cum omni castitate. Idem extra disputationem, sedatis affectibus, ubi verba Pauli, de quibus agimus, interpretatur, sic ait: Quidam de verbis Pauli ita sentiunt: Iudaicæ consuetudinis (inquiunt) fuit, vel bis nas uxores habere, vel plures. Quod etiam in veteri lege de Abraham & Iacob legimus. Et hoc nunc volunt à Paulo esse præceptum, ne is, qui Episcopus eligendus est, uno tempore duas pariter habeat uxores. In epistola item ad Oceanum, sic inquit: Ex Iudeis erat Apostolus: prima Christi Ecclesia ex Israël reliquijs congregabatur. Sciebat lege concessum, et ex exemplo Patriarcharum ac Mosi familiare populo nouerat, in multis uxoribus liberos spargere. Ipsiis quoque Sacerdotibus huius licentiae patebat arbitrii. Præcipit ergo ne eandem licentiam Ecclesie sibi videntur

Hierony. lib. 1.
ad uer. Iouinia.

Hiero, in epist.
ad Tit. 1.

Idem ad Ocea-
num.

dicent Sacerdotes, ne bina pariter & tria sortiantur coniugia, sed vt singulas vno tempore vxores habeant. Hanc interpretationē adfert Hieronymus verborum Pauli. Etsi autem plures quoq; adferat, tamen alias prorsus improbat, alias vocat coactas, nonnullas superstitiones magis quam veras. Hanc vero, quam recitauimus, minimè reprehendit. Itaq; Hieronymo ad Gerontiam, quam epistolam Jesuitæ citant, opponimus Hieronymum ad Oceanum. Quod si quis hæc contraria apud eundem authorem miratur, quid restat aliud, quam vt istis riuis relictis, ad fontem recurramus, ac Pauli verba expensamus, quod suprà à nobis factum est: Donabimus igitur Jesuitis hac in parte plærosq; veteres scriptores: & nobis Paulum retinebimus, quid enim cum hoc collatus valebit fictitius Clemens: quid impuri cœlibatus author & cum natura ipsa pugnans legislator Siritius: quid minimè innocens Innocentius: cuius illa extat nocentissima vox, Sacerdotibus coniugatis, quia immundi sint, omnia immunda esse: quid Tertullianus, aperte cùm in alijs, tum de Monogamia præsertim Montanizans: quod ipse etiam beatus Rhenanus notauit: quid Origenes à multis ne Ecclesiæ quidem filius creditus: quid Eusebius omnino μονογάμος & μονογαμος: Quid illi ceu minorum gentium Dñ, Oecumenius, Primasius, Sedulius, Anselmus, Haymo: quos tamen, quia ad manum non habuimus, non potuimus inspicere. Sed hoc minimè prætereundum duximus, quod Augustinum (qui vnuis nobis instar aliorum plurimorum esse debet,) summa vi renitentem in partes suas

L iij trahere

erahere conantur, cùm is omnium maximè nostram interpretationem confirmet, suoqe calculo adprobet. Is enim libro primo de bono coniugali cap. 17. prolixè disputat, quare licuerit Patribus plures habere vxores: quia scilicet pertinebat (inquit) ad dispensationem Propheticam, id est (vt infra cap. 18. declarat) præfigurabat eorum coniugium spiritualè illam Christi & Ecclesiæ coniunctionem, quod sicut tum plures vxores vni viro adhærebant, ita ex omnibus gētibus Ecclesiæ plures vni viro subditæ futuræ essent Christo: docetqe ibidem, sicut Dominus unus possit esse multorū seruorum dñs, nō autē unus seruus multorū Dominorum seruus, ita nō fuisse cōtra naturā nuptiarum, vt plures fœminæ sint iunctæ vni viro, quia plures possint ab uno fœtari, vna verò à pluribus non possit. Hæc est (inquit) principiorum vis, vt plures fœminæ vni viro sint, sicut multæ animæ vni Deo recte subduntur. Ideoqe non est verus Deus animarū, nisi unus: vna vero anima per multis falsos Deos fornicari potest, non fœcundari. Et statim cap. 18. Sed quoniā ex multis animabus vna ciuitas futura est habentium vnam animam, & cor vnum in Deum: quæ vnitatis nostræ perfectio post hanc peregrinationem futura est, vbi omnium cogitationes nec latebunt inuicem, nec inter se in aliquo repugnabunt: propterea Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad vnum maritum & ad vnam vxorem redactum est, vt dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinari, nisi vnius vxoris virum, Cattende diligenter ad antithesin, quæ aliter constare non potest, nisi intelligatur, vt apud nos, de uno

&

& eodem tempore) quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catechumenus vel paganus habuerit alteram (id est, si etiam ante professionem Christianæ religionis vna non contentus, alteram etiam duxerit) ordinandum esse censuerunt. Et paulo post: Sicut foemina, & si catechumena fuerit vitiosa, non potest per Baptismum inter Dei virgines consecrari: ita non absurdè visum est, eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinatio[n]is Ecclesiasticæ signaculum necessariam. Ac per hoc sicut plures uxores antiquorum Patrum (observua antithesis) significarunt, futuras nostras ex omnibus Gentibus Ecclesiæ vni viro subditas Christo: ita noster Antistes vnius uxoris vir significat, ex omnibus gentibus unitate vni viro subditam Christo. Hæc ille. Iam intelligens & cordatus lector ipse iudicet, quam inconuenienter ad stabilendam frumentulam suam glossulam Augustinum Iesuitæ allegant. Quanq[ue] iura Canonica secuti videntur, quæ Augustini verba eodem modo, quo Iesuitæ, peruerunt, & in alienum sensum detorquent, ita si cœcum, Canonista Iesuitam, ducat, ambo in foueam cadunt.

Agathense Concilium, quod allegant, eadem superstitione laborat, qua pl[et]riq[ue] Patres, de non ordinandis digamis. Neq[ue] mirum est, cum sibi Innocentij ordinationē, & Siricij authoritatē sequendā pposuerit, ut ipsummet Canone 9. fatef, haec profectio in parte, & multis alijs, non tam ~~quædam~~ quam Agathense.

se. Quod facilius agnoscat & libentius fatebitur, qui cum isto Agathensi Concilio Gangrense contulerit, in quo non Siricij, non Innocentij, sed sacrarum scripturarum anthoritas, norma iudicij & decretorum fuit.

Penè præterieram, quod Iesuitæ in fine huius Assertionis hærefoes insimulant nouorum Euangeliorum (vt istis blasphemare libuit) sententiam, qua præcipi dican Presbyteris coniugium: hanc enim aiunt, Vigilantium quidem ducem habere, Catholicorum vero neminem. Etsi autem nō statim hæreticum est, quod Vigilantius docuit, atq; hic fortasse, multis qui contra ipsum scripsere, fuit in sacris lites vigilantior atq; intelligentior, tamen nescio an inter nos trahi aliqui sint, qui tanq; necessariam rem in Episcopo requirant, vt sit coniunx. Nam vt in Christo non est mas nec foemina, sic inter mares coaram eodem non est coniugatus nec coelebs, nec viduus, modo castè & continenter viuat, cùm in coniugio & viduatu, tum in coelibatu. Ac siquidem Episcopus donum continentiae non habet (non enim omnes capiunt verbum hoc) præceptum ei diuinitus esse affirmamus, vt vxorem ducat, vitanda fornicationis causa. Propter stupra, inquit, vitanda, suam QVISQ; V^z (ergo etiam Episcopus) vxorem habeat. Sin vero Episcopus isto singulari dono, quod Angelicum magis est quam humanum, ornatus est, quis contra Christi & Pauli consilium, eum adigit vt vxorem ducat, qua sine incommmodo & sine peccato carere potest: Itaq; Ioannis quidem Baptiste virginitatem, Ambrosij, Chrysostomi, Basilij,

Basilij & aliorum cœlibatum miramur: Petri autem & Hermotis, Spiridonis, Tertulliani, Hilarij & similium coniugia æquè laudamus & veneramur. Honorabile enim est coniugis INTER OMNES etiā Heb. 13. Episcopos. Sed tamē nos existimamus, Pauli verba in hoc loco, nō esse p̄cipientis, nec tamē etiam permittentis tantum, ut alibi inquit Hieronymus, Apostolos eo tēpore permisisse, vt Episcopus esset vnius vxoris vir, quando recenti adhuc Ecclesia non poterant inueniri tot virgines, nec cœlibes quidē, quot Episcopis & Sacerdotibus opus erat. Hoc profectò nimis frigidē dicitur. Non enim permittit tantum, sed & probat in Episcopo coniugium, si modo id intra hos limites consistat, ut simul una duntaxat vxor habeatur. Rectius igitur Chrysostomus: Non hoc, inquit, veluti sanciens dicit Apostolus, quasi non liceat absq; vxore Episcopum fieri, sed eius rei modum constituens: Iudeis quippe licitum erat etiam secundo matrimonio iungi, & duas item habere SIM V L vxores, honorabiles enim nuptiae, &c. Et idem alibi. Si quis (inquit) inculpatus, In Tit. Hom. 3. vnius vxoris vir, filios habens fideles, non obnoxios criminī ~~et ceteris~~ aut inobedientes. Cuius rei gratia etiā talē in medium adducit: Obturat os hæreticis, qui calumniantur nuptias, ostendens, quod non sit res detestanda, sed tam honorabilis, vt cum ea possit etiam in sanctum thronum ascendere.

Ex his dictis apparet, tantum abesse, vt Paulus in Episcopo coniugium tanq; vicium improbet, aut tanq; malum necessarium (sicut Ethnici quondam) permittat, ut etiā in virtutum, que Episcopo dignae

M. sunt,

Chry. in 1. Tim.

3, hom. 10.

sunt, catalogo recenseat, ac vel hinc maximè consigñ honestatem cōmendet, quod Episcopum quoq; non dedebeat: vt potè cum quo aliquis possit ad sanctum Episcopatus solium (vt Chrysostomus loquitur) euehi. Hæc igitur à Paulo inter boni Ecclesiæ ministri rationes scripta sunt, coniugium habere, domui sitæ benè præesse, liberos pios & obedientes educare: quale quid de coelibatu si protulerint Iesuitæ, in curru triumphali eos collocabimus.

IESVITÆ.

III. *Hac igitur reiecta expofitione, qua preceptum inducit,*
Matth. 19. Mar. Christi, Pauliq; consilio contrarium, quæ innumeròs sanctos
10. i. Cor. 7. Hie damnat, & omni prorsus repugnat rationi, nos de cœlibatu fa-
rony. li. i. aduer.
Iouini, Origen, cordorum, hæc affirmare non formidamus: Primum, ex sacris
ho. 23. in Num. læteris concludi, Christi discipulos, si qui uxores, antequam
Augusti, li. 1. de Christum sequerentur, habuerint (quod de solo Petro constare
nupt. & concu. Hieronymus ait) ab ijs deinceps abstinuisse: Deinde in Ec-
c. 7. & de libero arbitrii. li. 1. cap. 2. clœfia Dei, nullum unquam fuisse morem, ut à Sacerdote
Cano. Apo. 27. post sacrum ordinem suscepimus, idcor duoceretur: Nunquam e-
Calix. dist. 27. c. viam, ubi Canones seruati fuerunt (Epiphanius atq; traditione
Presby. Conci. testante) Presbyteris, Diaconis, & Hypodiaconis licuisse, ex
Neocœlar. c. 1.
Carthag. 2. ca. 2. uxore ante sacrum ordinem dulce, filios procreare. Adhuc,
Calced. c. 13. Sy. nunquam Episcopos (quicquid esset in locis quibusdam Pres-
nod. quæ dicitur byteris permisum) nisi vel cœlibes vel se ab idcoribus absti-
sexta. ca. 3. & 6. nentes, fuisse consecratos: Deniq; in Ecclesia Græca, cum sacris
Leo epist. 82. ad Anast. Epiph. ordinibus (saltem quando cœlibes sacris initiantur) coniun-
hærc. 59. Eus. li. Etum fuisse votum, aut promissionem castitatis, idq; Apostolo-
rum vel Ecclesiæ antiquo statuto, alioqui, nulla videtur fuisse
causa,

saufa, quare matrimonium post sacrum ordinem contradictum, Euan. c. 9. Chry.
probibitum & irritum apud ipsos, ut etiam apud Latinos fuisset. ho. 7. inc. 2 Mar.
Syn. sex. can. 48
eius. Syn. ca. 2.

R E S P O N S I O .

HÆC assertio multis impudentibus mendacijs
 Hest reserta. Itaq; Jesuitæ non abs re de audacia
 sua præfati sunt. Non formidamus (inquiunt) hæc
 adfirmare. Bellè profecto. Tanto igitur destabilior
 est vestra temeritas, quanto minus vos illius pudet:
 ac quò minus formidatis metiri, eò de vestra pœnitentia
 & salute minus reliquum est spei.

Primum autem de discipulorum Christi vxorebus dicendum nobis est: in quo mirum est Jesuitas
 sponte coæcutire, & cum Hieronymo errare maluisse,
 quam cum expressis scripturis recte sentire, &
 verum dicere. Quid enim dicam: num de solo Pe-
 tro constat, quod vxorem habuerit? An non eadē
 sacræ literæ, quæ de socrū Petri referunt, etiam de
 quatuor filiabus Philippi testantur. Aut igitur has
 spuriæ fuisse (quod vel cogitare nefas esset) aut
 Philippum vxorem habuisse necesse est. Atqui (in-
 quies)is non fuit Apostolus, sed Euangelista, vt Lu-
 cas eum appellat. Quid tum postea? Discipulus tan-
 men Christi fuit, vos autem non de Apostolis sed
 discipulis Christi loquimini, vt clare sonant verba
 vestra. Eusebius certè post Clementem ita scribit: Euseb. Eccl. hist.
 Clemens propter eos qui nuptias reprobabant, eos lib. 3. cap. 30,
 ex Apostolis, qui in coniugijs fuisse probantur,
 recenset, dicens: An & Apostolos reprobant? Nam
 Petrus & Philippus liberis procreandis operam

M ij dederunt.

dederunt. Philippus etiam filias suas viris nuptum dedit. Et Paulus non detrectat in Epistola quadam salutare coniugem suam, quam non circumduxit, ut Lib. 7. Strom. ad ministerium expeditior esset. Et alibi idem Clemens dicit: Beatum Petrum, cum ad mortem uxorem suam duci cerneret, gauisum quidem fuisse vocationis gratia, & quod ad sua remearet: acclamasse autem illi admodum hortandi & consolandi gratia, ex nomine eam compellando ac dicendo. O.N. memento Domini. Tale erat beatorum connubium & integer amicissimorum affectus. Hæc Clemens.

1. Cor. 11. Ambrolius verò tradit, omnes Apostolos, exceptis Ioanne & Paulo, vxores habuisse. Contrà Ignatius cum Clemente affirmat, Paulum quoq; coniugatum fuisse. Quibus etiam adstipulatur Chrysostomus. Sed siue Apostoli habuerint siue non habuerint uxores, nobis non tam quid fecerint, quām quid docuerint considerandum est. Docuerunt autem, iaqueum nemini iniiciendum esse: docuerunt alios ailio dono esse præditos, & vnumquenq; vt illum vocavit Dominus, ita ambulare debere: docuerunt me lius esse nubere quām viri: deniq; honorabile esse inter omnes coniugium & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros iudicatum iri à Domino.

Putidum autem mendacium Esauitarum est: Ex sacris literis concludi, Christi discipulos, si qui uxores habuerint, anteç Christum seuti sint, ab ihs deinceps abstinuisse. Vnde obsecro, & è quibus scripturis hoc concluditur: imò vero contrarium è scripturis colligitur. Sic enim præcipit Apostolus: Vxori vir debitam benevolentiam reddat, similiter autem

autem & vxor viro. Vxor proprij corporis ius non habet, sed maritus: similiter & maritus proprij corporis ius non habet, sed vxor. Et statim adhuc claris us: Ne fraudetis vos inuicem, nisi si quid ex consensu, PRO TEMPORE, vt vacetis ieunio & precatio ni: & rursum in vnum conueniatis, ne tentet vos Sathanas propter intemperantiam vestram. Sed haec forsitan hominibus e vulgo, non Apostolis dicta sunt. Audi ergo quid Ignatius in Epistola ad Philippenses, vt Eusebius narrat, scripserit: Non detraho, inquit, cæteris beatis, qui nuptijs copulati fuerunt, quorum nunc memini. Opto enim Deo dignus ad vestigia eoru in regno ipsius inueniri, sicut Abraham, Isaac, & Iacob, sicut Ioseph, & Esaias, & cæteri Prophetæ, sicut Petrus & Paulus, & reliqui Apostoli, qui nuptijs fuerunt sociati: qui non libidinis causa, sed posteritatis subrogandæ gratia coniuges habuerunt, &c. Quod si Apostoli habuerunt coniuges subrogandæ posteritatis gratia, quid est quod Iesuitæ adfirmare non formidant, e sacrâ lites riis concludi, Petrum, & alios Petri exemplo, postq[ue] discipuli Christi facti sunt, cum vxoribus cōmercij deinceps nihil habuisse?

Alterum non minus impudens mendacium est: In Ecclesia Dei nullum vñquam fuisse morem, vt à Sacerdote post sacrum ordinem suscepimus vxor duceretur. Quia igitur de more quæstio est, morositas & petulantiam Iesuitarum exemplis e veteri historia petitis refutabimus: quibus manifestum fit, sacerdotes etiam in ordinibus constitutos, hoc est, professos iam & initiatos matrimonium contraxisse,

M iij Euseb.

Euseb.lib.4. Ecclesiast. hist. cap.23.

Dionysij Corinthiorum Episcopi extat Epistola ad Gnosios scripta, in qua Pinytum Paracæ illius Episcopum hortatur, ne graue seruandæ castitatis onus necessariò fratribus (hoc est Sacerdotibus) imponat, sed multorum sese imbecillitati attemperet.

Sozomenus Ecclesiast. hist. lib.5. cap.11.

Eodem tempore (sub Juliano Apostata) vitam martyrio finierunt, Basilius Ancyranæ Ecclesiæ Presbyter, & Eupychius Cæsariensis, qui nuper vxorem duxerat, & adhuc sponsus erat.

Hieronymus in Epistola ad Oceanum.

Carterius Hispaniæ Episcopus, homo et ètate vetus, & Sacerdotio, vnam anteç baptismaretur, alteram post lauacrum, priore mortua duxit vxorem, & arbitraris eum contra Apostolorum fecisse sententiam, qui in Catalogo virtutum, vnius uxoris virum præceperit ordinandum. Miror autem te vnum protraxisse in medium, cum omnis mundus his ordinationibus plenus sit, non dico de Presbyteris, non de inferiori gradu. Ad Episcopos venio, quos si sigillatimi voluerò nominare, tatus numerus congregabitur, ut Ariminensis Synodi multitudo superetur.

Siricius Papa Decretorum suorum cap.7.

*Cedit Anno
Christi. 404.*

PLVRIMOS Sacerdotes Christi atq; Leuitas POST LONGA CONSECRATIONIS SVÆ TEMPORA, tam de coniugib; proprijs, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri testamento

mento Sacerdotibus, ac ministris generandi facultas legitur attributa &c. En Siritus primus prohibet, ne hoc deinceps fiat, quod ante ipsum à PLVRI-
MIS sacerdotibus factitatum fuit.

Et mōx.

Et quia exempla PRÆSENTIA cauere nos præmonent IN FVTVRVM, si quilibet Episcopus, Presbyter atq; Diaconus (quod nō optamus) D B I N C B P S talis fuerit inuentus, &c. Ergo hactenus, vscq; ad tempora Siricij ipsis licuerat etiam post consecrationem vxores ducere.

Huic decreto Sacerdotes Hispani parere recusarunt, & patronum habuerunt suæ causæ Episcopum Tarragonensem, qui respondens Romano Episcopo, citat dicta Euangelij, quæ vetant dissolui coniugia. Sed rescriptis Siricius adeo arroganter ac stolidè, ut mirum sit, tantam tunc in Ecclesia insemitam, audaciam, impietatem & tyrannidem fuisse.

Ex eiusdem Decretis cap 8. liquet, NV MEROS A coniugia sacerdotibus Hispanis permissa fuisse.

Innocentius Papa in Epistola ad Maximum & Seuerum Episcopos Brutios, grauiter conqueritur, quod Episcopi per Italianam & Campaniam dissimilarent & conniveant ad Sacerdotum coniugia, quasi nesciant esse illicita, &c. Vnde autem scirent, cum Lucas de hoc nihil scriperit?

Idem in Epistola ad Episcopos Macedonię cap. i. conqueritur, eos qui viduas acceperint uxores, non solum Clericos effectos esse, verum etiam vscq; ad insulas summi Sacerdotij peruenisse, &c. Vnde intel-

ligi

ligi potest, quid tum temporis in Græcis & Mace-
donicis Ecclesijs vstatum fuerit.

Alibi etiam querulatur, Decretum Siricij, quo
Sacerdotes ab vnu coniugij submouit, non esse audi-
tum nec R E C E P T U M. Quod indicio est, quam con-
stanter libertatē suam Ecclesiæ defenderint. Quod
in Germania multis post annis cum primis fece-
runt, S. Ulricus Augustanus Episcopus circa an-
num Domini 900. Nicolao I. Papa, legem Siricij re-
petente: & Otho Constantiensis Episcopus: & Cle-
rus Moguntinensis atq; Erphordiensis, circa tem-
pora Satanici illius monstri Gregorij septimi, qui
vulgo Hildebrandus seu Hellebrandus dicitur,
Anno domini 1104. De quibus consule Lambertum
Schaffnaburgensem, Hirsfeldensem monachum, &
Chronographum non indiligentem: Nauclerum i-
tem, Generat. 36. fol. 160.

Vergilius Polydorus lib. 6. Anglicæ historiæ
narrat, coniugia Sacerdotibus in Anglia abrogari
coepit circa annum 970. Et lib. 5. de inuent. rerum,
testatur, demum circa annum Domini 1100. occi-
dentalibus Sacerdotibus coniugium penitus adem-
ptum esse.

Saxo Grammaticus lib. 15. author est, Danorum
plebem suis Sacerdotibus coniugia decernentem à
Pontifice Romano Clemente III. excommunicatam
esse, circa annum Domini 1190. Tantæ molis erat,
spurcos obtrudere Pfaffos.

Bulgari aliquando consulebant Papam, vtrum
Presbyterum habentem vxorem, deberent susten-
stare & honorare, an a se abiçere. His respondet

Nicolaus

Nicolaus Pontifex, ne illum iudicent, sed Episcopi iudicio reseruent. Dist. 28. Can. consulendum, &c.

Synodus Ancyranæ cap. 10. & repetitur Dist.

28. Diaconi.

Diaconi quicunq; ordinantur, si in ipsa ordina-
tione protestati sunt, & dixerunt, velle se coniugio
copulari, quia sic manere non possunt, hi si postmo-
dum vxores duxerint, in ministerio maneant.

Stephanus Papa Dist. 31. aliter.

Aliter se orientalium traditio habet Ecclesiarum,
aliter huius sacræ Romanæ Ecclesiæ. Nam eorum
Sacerdotes, Diaconi, aut Subdiaconi matrimonio
copulantur. Istius autem Ecclesiæ vel occidentalium,
nullus Sacerdotum à Subdiacono vscq; ad Epi-
scopum, licentiam habet coniugium sortiendi. Hæc
ille. Quod si Ecclesia orientalis vna est cum occi-
dentali, quemadmodum vnam esse existimandum
est, siquidem vere Ecclesia est (vnum enim Deus, vna
fides, vnum baptisma, quo initiamur oēs,) si inquam
vtracq; Ecclesia vna, vna igitur natura Sacerdotij v-
triusq;. Cumq; talis sit natura orientalis Sacerdotij,
vt qui eo iam fungantur, matrimonium sortiri que-
ant, sequitur, & naturam occidentalis Sacerdotij
eam esse, quæ non pugnet cum matrimonio. In Chri-
sto enim non est orientalis, nec occidentalis, non
Græcus, nec Latinus.

*Dist. 84. Cum in præterito, Glossa, super verbis: Qui
Sacramentis Diuinis inferiunt.*

Dicunt quod ista capita facta fuerunt ante tem-
pus Gregorij, qui introduxit continentiam minis-

N stris

stris Dist. 31. ante triennium; id est, Subdiaconibus: Presbyteris vero & Diaconibus Siricius introduxit. Imo dicunt, quod olim Sacerdotes poterant costrahere, ante Siricium. Unde & Moses contraxit.

26. Q. 2. Sors.

Copula Sacerdotalis vel consanguineorum nec legali nec Euangelica vel Apostolica autoritate prohibetur: Ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.

Nicolaus Cusanus Epistola 2. de ysu communionis ad Bohemos.

Consequenter in novo Testamento visum fuit, post aliquot tempora irrationale fore, quod in sacris ordinibus existentes contraherent, similiter & solenniter videntes. Quod si facerent, separandos esse. Qui tamen ante tanq; à Deo coniuncti separari non potuissent, &c. Ergo non statim ab Apostolorum temporibus, sed post aliquot demum tempora coelibatus Sacerdotum introductus fuit, & separati ab hominibus, quos Deus ipse coniunxerat.

Itaq; insigniter frontem perfricuerunt Jesuitæ, dum vociferantur, in Ecclesia Dei nullum vncq; fuisse morem, ut à Sacerdote post sacram ordinem suscepimus, vxor duceretur.

Sed his mendacij addunt tertium: Nunq; Presbyteris Diaconis, & Hypodiaconis licuisse, ex uxore ante sacrum ordinem ducta filios procreare. Quancq; h̄c limitationem adscribunt, vbi (inquit) Canones seruati fuerunt. Fatentur ergo ipsi, Pontificum & Conciliorum Canones non vbiq; esse servatos,

uatos, sed à multis Ecclesijs pro libertate, in qua Christus eos vocarat, reiectos. Nam si sacris iniciati ad matrimonium peruenire potuerunt, & in orientali & occidentali Ecclesia, ut supra demonstratum est: quorsum id fuisset, nisi sine matrimonij potuisse sent vti: Est enim finis matrimonij non tantum pro lis procreatio, sed etiam vt vterç conjugum alterius incontinentiae mutuis officijs medeatur. Quod & à Paulo 1. Cor. 7. affirmatur, & 32. q. 2. ostenditur. Sed age, quod supra fecimus, id nunc etiam faciemus, vt exemplis & Canonibus contrarijs Iesuitarum impudentiam retundamus.

Apud Eusebium Ecclesiast. hist. lib. 5. cap. 24. & 25. fit mentio Polycratis Ephesini Episcopi, qui se ab Episcopis progenitum ait. Hæc enim sunt verba: Sed & ego omnium vestrum minimus Polycrates, traditionem parentum meorum obseruo, quorum etiam aliquot affectatus sum. Septem namq; ex parentibus meis per ordinem fuerunt Episcopi, ego octauus, qui omnes ita obseruarunt hunc diem.

Tripartita hist. lib. 9. cap. 38.

In oriente cuncti spontanea voluntate, & nō alia qua necessitate, etiam Episcopi, abstineant. Plurimi enim eorum etiam Episcopatus tempore, ex legitima vxore filios habuerunt.

Socrates hist. Ecclesiast. lib. 1. cap. 11. & Sozomenus lib. 1. cap. 23. & Dist. 31. Can. Nicæna.

Nicæna Synodus volens corrigere hominum visitam in Ecclesijs commorantium, posuit leges, quas Canones vocamus, in quorum tractatu videbatur

N *ij* aliquibus

Socrates disert^e aliquibus introducere legem, vt Episcopi, Presby-
teri, Diaconi, Subdiaconi, cum coniugibus, quas ante
legem,

consecrationem duxerunt, nō dormirent. Surgens autem Paphnutius confessor, contradixit, honorabiles confessus nuptias, & castitatem dicens esse cum propria vxore concubitum. Suasit itaq^e Concilio, ne talem poneret legem, grauem esse asserens causam, quae aut ipsis aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hoc quidem Paphnutius, licet nuptiarum esset inexpertus, exposuit, Synodusq^e laudauit sententiam eius, & nihil ex hac parte sanctiuit, sed hoc in vniuersciusq^e voluntate, non necessitate, permisit.

Nicephorus lib. 12. cap. 34.

In Thessalia et hoc factitatū esse legimus. Licebat Clérico cuiuis, priusq^e in ordinē eum cooptare, legitime vxorē ducere. At si postea, vt cōsuetudine receptū est, vxorē cognouisset, ordine eo mouebat, cūm in oriente oēs, atq^e etiā Episcopi, si vellēt, pro arbitrio suo, nō aliqua legis necessitate coacti, vxorum congressum declinarent. Multi etiam ipso Episcopali munere fungētes in Episcopalibus ædibus liberos multos ex coniugibus, quas sibi legitimo matrimonio antea cōiunxissent, susciperet. Eadem referuntur à Socrate lib. 5. cap. 22.

Concilium Gangrense, Ca. 1. & Dist. 30. Si quis nuptias. & Dist. 31. Si quis vituperat.

Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpas bilem

bilem aestimat, velut quae in regnum Dei introire non possit, anathema sit.

Idem ca. 4. & Dist. 28. Si quis discernit.

Si quis discernit Presbyterum coniugatum, tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo abstinet, anathema sit.

Synodus sexta, & habetur Dist. 31. ca. Quoniam.

Quoniam in Romani ordine Canonis esse cognoscimus traditum, eos qui ordinati sunt Diaconi, vel Presbyteri, cōsideri, quod nō suis iam copulētur vxoribus: nos antiquū sequentes Canonē Apostolice diligentiae, & constitutiones sacrorum virorū, legales nuptias à modo valere volumus, nullo modo cum uxoribus suis eorū cōubia dissoluentes, aut priuātes eos familiaritate adinuicē, in tempore oportuno. Qui cuncti ergo dignus inuentus fuerit Subdiaconali ordinatione, aut Diaconali, aut Sacerdotali, hi nullo modo prohibentur ascendere ad tales gradum, pro vxoris suæ cohabitatione: nec etiam tempore ordinationis suæ profiteri castitatem cogantur, quod abstinere debeant à legalis vxoris familiaritate. Si quis igitur præsumperit contra Apostolicos Canones, aliquos Presbyterorum aut Diaconorum priuare à contactu & à communione legalis vxoris suæ, deponatur. Similiter & Presbyter ac Diaconus, qui religionis causa vxorem suam expellit, excommunicetur. Si verò in hoc permanserit, deponatur.

Gregorius PP. Dist. 1. Ante triennium.

Ante triennium omnium Ecclesiarum Subdiaconi Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ec-

N in clesiæ

clesiae suis vxoribus nullatenus misceantur. Quod mihi durum atq; incompetens videtur: vt qui vsum continentiae non inuenit, neq; castitatem promisit, compellatur a sua vxore separari, atq; per hoc (quod absit) in deterius cadat.

Hinc etiam Nicolaus Papa, ad Ratholdum Episcopum Argentoratensem 33. q.2. Ca. Latorem, scribens de Presbytero matricida, vsu plurimarum rerum ei interdixit: atq; adeo, ne oblationes offerat, nisi expletis multorum annorum curriculis, mandat: veruntamen vsu matrimonij ei non interdixit. Sic enim ad verbum: A propria (inquit) ac legitima vxore non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat, quod ne fiat optamus.

Innocentius 3. de vita et honestate Clericorum.

Qui autem secundum regionis suae morem non abdicarunt copulam coniugalē, si lapsi fuerint, gratius puniantur, cum legitimo matrimonio uti possint.

Urbanus PP. Turonensi Archiepiscopo. Dist. 56. cap.

Cenomanensem.

Cenomanensem electum pro eo quod filius Sacerdotis dicitur, si cæteræ virtutes in eum conuenient, non reiçimus, sed suffragantibus meritis, eum paterniter suscipimus.

Et Gratianus ibidem.

Cum ex Sacerdotibus nati in summos Pontifices suprà legantur esse promoti, non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis coniugijs, quæ Sacerdotibus ante prohibitionem, vbiq; licita erant, & in orientali Ecclesia usq; hodie eis licere probantur, &c.

tur, &c. Respicit autem Gratianus ad Epistolam Damasi Papæ ad Hieronymum, quæ citatur. Dist. 56. Ca. Osius, &c. in qua ostenditur, plurimos ex Sa-
cerdotibus natos, sedi Apostolicæ præfuisse.

Sed age, contexamus catalogum Romanorum Pontificum, qui Sacerdotum filij fuerunt.

Bonifacius I. Papa Romanus, Iucundi Presbyteri filius.

Fœlix II. Romanus, filius Fœlicis Presbyteri.

Gelasius I. Apher, filius Valerij Episcopi.

Agapetus I. Romanus, patrem habuit Gordia-
num Presbyterum.

Syluerius I. Campanus, patre habuit Hormisdam
Episcopum.

Deus dedit, vel Theodatus, quem Damasus Os-
uni appellare videtur, Romanus, patrem habuit
Stephanum Subdiaconum.

Theodorus I. Græcus, patre natus est Theodoro
Episcopo.

Hadrianus II. Romanus, patre Talaro Episcopo
natus.

Ioannes X. Sergij III. Pōtificis filius, Romanus.

Ioannes XII. Romanus, & hic Sergij Pontificis
filius.

Ioannes XIII. patre Ioanne Episcopo, Ro-
manus.

Ioannes X VI. Romanus, patre Leone Presby-
tero. Sedit autem is, circa annum Dñi 984. imperan-
te Otthonie III. Vnde manifestum est, circiter mille
annos post natum Christum, in ipsa vrbe Roma Sa-
cerdote

cerdotes adhuc vxores habuisse, & liberos procreasse. Itaque Iesuitæ vel ex omnium historiarum inscritiā errant, vel malitia id, quod non nesciunt, dissimulant.

Accedamus iam ad quartum mendacium Iesuitarum, quod tale est: Nunquam Episcopos (nam Presbyteris licuisse tacite fateri coguntur) nisi vel coelibes, vel se ab vxoribus abstinentes fuisse consecratos. Hoc licet ex superioribus testimonij etiam refutari possit, tamen paucula quædam adjiciemus.

Ruffinus Ecclesiasti. bift. lib. 1. cap. 5.

Spiridion Cyprius Episcopus, vir unus ex ordine Prophetarum, pastor ouium etiam in Episcopatu positus permanxit. Filiam habuit, Irenen nomine, quæ ei cum bene ministrasset, virgo defuncta est.

Sozomenus lib. 1. ca. 11. de eodem.

Spiridion Trimithuntis Cypri Episcopus, erat vir agrestis, vxorem habens & liberos, at ob id nihil ad res diuinas deterior.

Euseb. lib. 6. cap. 42.

Cheremon Nili Ægyptiacæ Episcopus, admodum senex, ad montana Arabiae cum vxore sua fugiens, non est reuersus, nec unquam videri posuerunt.

Dift. 28. ca. De Syracusano.

Pelagius Papa ordinat Episcopum Syracusanum habentem vxorem & liberos: nec vsu vxoris ei interdicit: sed hoc tantum exigit, ut suam fateatur quantula sit præsentis temporis habita rerum descriptione substantiam, & nihil unquam per se aut per filios & vxorem, siue quamlibet propinquam aut.

aut domesticam vel extraneam forte personam de rebus audeat usurpare Ecclesiæ : & vniuersa sui Episcopatus quæsita tempore Ecclesiæ suæ dominio societ : nihil ultra id, quod modo descriptum est, filijs suis vel hæredibus relicturus.

*Innocentius tertius, de Clericis coniugatis
ca. Cum olim.*

Nos igitur attendentes, quod orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit: quoniam orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus utrunt matrimonio iam contracto, mandamus. &c.

Sed adscribamus etiam elegantissimos versus Baptiste Mantuani, quos in Fastis suis de S. Hilario Pictauensi Episcopo cecinit.

Integritas vitæ, legum prudentia, cultus
Cœlitum, tutela inopum, diadema pedumq;
Pictauense tibi, dum nil mortalia curas,
Dum viuis tibi sorte tua contentus, ab omni
Ambitione procul, populo applaudēte, tulerunt.
Non nocuit tibi progenies, non obstitit vxor
Legitimo coniuncta thoro: non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, tædas
Sola erat in precio, quæ nunc incognita virtus
Sordet, & attrito viuit cum plebe cucullo.
Propterea leges quæ sunt connubia contraria
Esse malas quidam perhibent: prudentia patrum
Non satis aduertit, dicunt, quid ferre recusat,
Quid valeat natura pati. Ceruicibus aiunt
Hoc inserviæ iugum nostris imponere Christus
O Noluit.

Noluīt. Istud onus , quod adhuc quām plurima
Fecit, ab audaci dīcūt pietate repertū. (mōstra
Tutius esse volunt, qua Lex diuina sinebat
Iſſe via, veterumq; ſequi vestigia Patrum.
Quorum vita fuit melior cum cōiuge, quām nūc
Noſtra ſit, exclusis thalamis & coniugis vſu.

En quanto rectius & honorificentius de Sacerdos-
tum ipsorumq; adeò Episcoporum coniugio sens-
tiat Monachus Carmelita , quām Pseudomonachi
Iſuitæ: qui Episcopum vxori & liberis operam
dare poſſe negant : ideoq; vel cœlibatum vel per-
petuam ab vxore abſtinentiam in Episcopo contra
omnes diuinas & naturales leges requirunt.

Sed non ſufficit, eos tanq; hostes Dei & naturæ,
bellum vtrisq; intulisse in oppugnando Episcoporū
coniugio, niſi idem in reliquis etiā ordinibus oppug-
nent. Aſſuunt igitur quintum mendacium : In Ec-
clesia Græca cum ſacris ordinibus coniunctum fuīſſe
ſe votum aut promiſſionem caſtitatis. Et statim ſex-
tum: Idq; (inquiunt) Apoſtolorum vel Eccleſiæ an-
tiquo ſtatuto. Et mox septimum: Matrimonium
poſt ſacrum ordinem contractum, prohibitum & ir-
ritum apud ipoſ etiā Græcos , non minus quām
apud Latinos fuīſſe. Vtris iam credemus ? Iſuitæ
affirmantibus ; an Iuribus Canoniciſ negantibus?
Videant Iſuitæ, ne tandem hoc pacto imprudentes
in excommunicationem Romani Pontificis incur-
rant , dum ſacrosanctos Canones (vt olim voca-
bant) aperte falſitatis & mendacij arguunt.

Dijt. 31. Ca. Q. oniam.

Orientalis

Orientalis Ecclesia (cui sexta Synodus regulam
vivendi præscripsit) votum castitatis in ministris al-
taris N O N suscepit.

Et ibi Glossa.

In Canone Romano statutum erat, quod Diacones & Presbyteri orientalis Ecclesiæ deberent cō-
tinentiam profiteri: quod male seruabant: quod sex-
ta Synodus cognouit. Ideo statuit iuxta antiquum
Canonem, ut unusquisq; Clericus suam possit ha-
bere vxorem, nec propter hoc repellatur à promo-
tione, si dignus fuerit, NEC T E M P O R E S V A E O R D I-
NATIONIS COGATVR C O N T I N E N T I A M P R O-
F I T E R I : eo tamen tempore, quo ministrat altario,
debet abstinere.

Et rursus alia Glossa ibidem.

Hæc duo capita intelliguntur de Clericis oriens-
talibus Ecclesiæ, Q VI N O N S U S C E P E R V N T V O T V M
C A S T I T A T I S .

Et mod.

In orientali Ecclesia omnes Clerici indistincte
possunt uti matrimonio contracto. In occidentali
vero Ecclesia aliter seruatur.

Dif. 31. Ca. aliter. Glossa super verbo copulantur.

Multi ex hac litera dicunt, quod orientales pos-
sunt contrahere in sacris ordinibus.

Quæ cum ita sint, aut errores suos agnoscant Ies-
suitæ, aut se à Iure Canonico discedere palam profis-
teantur. Quod si fecerint, priuilegium fortassis Pa-
pa, quod ipsis tribuit, rursus adimet, & in pistrinum,
quo digni sunt, detrudet.

Jam tempus postulat, ut loca ex Patribus à Iesuitis

O ij in

in margine huius Assertionis allegata excutiamus. Primum Hieronymi citant libros aduersus Iouinianum. Quis autem nescit, quod ipse etiam Erasmus testatur, Hieronymum matrimonio iniquiorem fuisse? Nam cum Iouiniani aut Heluidij heresi esset excitatus, calore contentionis multa scripsit, quae sedato nunquam excidissent. Sed & extra disputationem tantis laudibus virginitatem extulit, ut de matrimonio parum honorifice sensisse videatur. Itaque illius authoritas causae nostrae minimè nocere debet. Quanquam eo loco, quem Iesuitæ citant, nihil aliud dicat, quam, excepto Apostolo Petro, non esse manifeste relatum de alijs Apostolis, quod uxores habuerint: & cum de uno scriptum sit, de cæteris tacitum, intelligi debere, sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale scriptura significet. Atqui haec vnius Hieronymi opinio contrarijs sententijs Ignatij, Clementis, Ambrosij, & Chrysostomi refellitur.

Origenes Hom. 23. in Numeros, à Iesuitis etiam in aciem producitur, sed irrito conatu. Verba enim Origenis haec sunt: Videtur mihi, quod illius est solius sacrificium offerre indelinens (hoc est, ut paulo ante dixit, orationem, quæ sicut incensum offeratur Domino) qui indelinenti & perpetuae se deuotuerit castitati, &c. Hoc (VIDETVR) Origenicum, soluitur per (NON VIDETVR) Lutheranum. Et Origenes ipse præfatur, se vereri hoc dicere: adeo eunctanter & timide loquitur. Adhac nihil ibi de Sacerdotum peculiari officio tractat, sed totum sermonem ad cunctum populum conuertit: cui tum de indelinenti festiuitate, hoc est, à peccatis abstinentia,

tia, tum de indesinenti sacrificio, hoc est, p̄la oratio, ne concionat. Inspice lector totam Homiliam, & nō magis eam ad Sacerdotum cœlibatum, quām ad Parmenonis suem pertinere videbis.

Augustinus de nuptijs & concupiscentia lib. 1. cap. 7. nullo verbo Sacerdotum, Presbyterorum, vel Episcoporum coniugium attingit: tantum docet, libidinem in coniugibus esse malum, sed propagationem, quæ occasione libidinis fit, esse bonam: tandemq; sic concludit caput: Ita nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidinem laudare debemus.

Idem de libero Arbitrio. lib. 1. cap. 2. disputat, quomodo, cū anima hominis peccet, quæ sit à Deo, Deus tamen peccati non sit author. Cæterum de matrimonio Sacerdotum vel aliorum, nec vnam quidem profert syllabam.

Canon Apostolorum 27. sanè non nisi lectoribus & cantoribus permittit vxores ducere. Huic autem opponimus Canonem sextum, ita pronunciantem: Episcopus aut Presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abiiciat: si vero reiecerit, excommunicetur: sed si perseuerauerit, deiciatur. Hos duos Canones prius cōciliant Magistri nostri, quām nos alterius authoritate premant.

Calixti impio Canoni, quo non solum Sacerdotibus coniugia prohibet, sed contracta etiam dissoluit, alios pios Canones Gregorij & cæterorum, sua præ nobis commemoratos opponimus.

Concilium Neocæsariense, Carthaginense, Chalcedonense, eadem superstitione laboratia, cum vero

O ij bo

In ea. Significasti. Extra ag. Panormitanus afferit, in concernentibus fidem, etiam dictum vnius priuati esse preferendum dicto Papae, si ille moueretur melioribus authoritatibus noscere & veteris testamenti, quam Papa. Et Gerson affermat, vnumerudit debere se toti generali Consilio opponere, si sentiret, maiorem partem ad oppositum Euangelij, malitia vel ignoratio declinare.

Synodi, quæ sexta dicitur, Canones 3.6. & 4.8. alio eiusdem Synodi Canone euertuntur, qui citatur Dist. 31. Ca. Quoniam, quem suprà recitauimus. Itaque lesuitæ illos cōtrarios Canones aut concilient, aut lus Canonicum corrigant: quod non ita pridem Monachus Dominicaster Hispanus, frater Bartholomæus Carranza Mirandes tentauit: qui in summa Conciliorum & Pontificum ad finem sextæ Synodi in Trullo congregatæ hæc verba attexuit: In Decreto (inquit) Gratiani adscribuntur aliquot Decreta huic Synodo, & septimæ etiam generali, quæ inter superscriptos Canones non continentur. Ex quo certo apparet, vitio Typographorum id factum esse. Hæc ille corrector Decreti. Vnde facile aestimare potes, candide lector, quantum fidei Canonibus, & lesuitarum allegationibus dari debeat.

Leonem & Epiphanium in locis citatis non insuti Jesuitis donamus. Nam ingenuè agere volumus, & homines superstitiones hac in parte nobis vendicare non laborabimus.

Eusebius de demonstratione Euangelica lib. i. cap. 9. sic scriptum reliquit: Veruntamen eos, qui sacrati

Sacra sunt, atq; in Dei ministerio cultuq; occupati,
continere deinceps seipso à commercio vxoris des-
cet. Qui autem non ad T A N T V M assumpti sunt
S A C E R D O T I I M V N V S, ijs idem sermo diuinus in-
dulget, ac propemodum palam omnibus prædicat,
quod vtiq; honorabile sit coniugium, &c. Ergo vi-
des Diaconis & Subdiaconis tum temporis adhuc
licuisse vxorum commercio vti. Et notandum est,
quod in eodem capite dicit de ministris Ecclesiæ:
His ipsis, inquit (doctoribus scilicet & prædicato-
ribus verbi diuini) maximè in præsentia, vt melio-
ribus studijs vacent liberius, sciunctus à re vxoria
victus A D A M A T V R, velut ijs qui diuina & incorpos-
rea sobole propaganda occupati teneantur, &c. Er-
go continentiam in illis potissimum commendat
Eusebius, qui ipsi à cœlibatu minimè abhorrebat,
Coactam autem castitatem omnia sanorum homi-
num iudicia auersantur.

Chrysostomus Hom. 7. in 2. cap. Matthæi, graui-
ter inuehit in eos, qui turpibus spectaculis in Thea-
tro indulgebant. Tandem obiectioni respondens,
inquit, se non prohibere coniugia: & addit: Omnia
siquidem mandata legis nobis sunt Monachisq;
communia, præter connubium: quanq; h̄c quoq;
beatus Paulus admonet, per cuncta Monachis æ-
quare nos cupiens, adducit habitum mundi huius,
vt & qui habent vxores, tanq; nō habentes sint. Lo-
quitur autem Chrysostomus de laicis: & tota homi-
lia nullo verbo attingit ministrorum Ecclesiæ vel
Sacerdotum cœlibatum. Et tamen tanta est impu-
dentia lesuitarum, vt hunc locum citare non vere-
antur;

antur : qui tamen ministrorum coniugio magis patrocinatur quam ccelibatu. Hunc enim ccelibatum (inquam) Monachorum esse proprium & peculia rem , nec reliquis hominibus communem, indicat. Nisi igitur ex omnibus ministris Monachos facere velint Iesuitæ , coniugium eis permittant necesse est. Quod autem Chrysostomus ex Paulo monet , ut qui vxores habent, sint tanq; non habentes , id non de voto perpetuae continentiae intelligit potest, sed de casto & moderato usu matrimonij: ne quis , ut Amb. II. de Phi. Ambrosius dixit, sua vxoris adulter fiat. Tam enim Iosoph. quæ citat sua est coniugio castitas, quam virginitati : quem-Aug. lib. contra admodum recte alibi inquit Chrysostomus. Primus Julianum. 2. Chrys. hom. de castitatis gradus est, sincera virginitas : secundus, inuentio crucis. fidele coniugium. Ergo species secunda virginitatis est matrimonij casta dilectio.

IESVITÆ.

*Diaconos similiter pudicos, non bilin-
gues.*

III. *Nomine Diaconorum, etiam Hypodiaconi compræhenduntur : reliqui enim inferiores ordines, quamvis constitui essent, nondum tamen eo tempore discrimine personarum, à superioribus discernebantur ordinibus. Qui autem Diaconos, de quibus epist. 1. ad Euari. bus hic agitur, alios esse ab his, qui in actis Apostolorum fabr. omnes Epis. A. Alii leguntur, & qui eis ministerium tantum mensarum & cu- phric. Fabianus. stodiā thesauri Ecclesie concedunt, omnem autem admunere epist. 1. Leo ser. de S. Laurent. sacram functionem, grauiter ballatinantur. Nam ex sacris Conci. Neocgs. literis*

literis constat, & ex antiquorum Patrum constanti tradicio- can. 13. Chrys.
ne, eodem Diaconos, qui mensis ministrabant, vel ithesauri cus hom. 14. 15. in
ram habebant, sacram etiam in Ecclesia habuisse functionem, Acta Aposto-
& ad sacrum ordinem pertinuisse. lorum,

RESPONSI.

ACelibatu Sacerdotum rursus ad Hierarchis
am suam Ecclesiasticam delabuntur Iesuitæ:
in qua post Episcopos & Presbyteros collocat Dia-
conos & Hypodiaconos. Etsi autem Hypodiaconos
rum mentio in scripturis non fiat, dabimus tamen
hoc ipsis, ut nomine Diaconorum etiam Hypodia-
conos comprehendant. Reliquos autem inferiores
ordines Apostolorum tempore constitutos fuisse,
facilius dicitur quam probatur. Nam & aliquot se-
culis post Apostolos, Hieronymus quinq; tantum In Esa, cap 9.
enumerat Ecclesiæ ordines, Episcopos, Presbyte-
ros, Diaconos, Fideles, Catechumenos: reliquo cle-
ro locum proprium nullum tribuit. Etsi enim tum
quoc; erant lectores & Acoluthi, tamen nomina nō
erant certorum munerum: verum quos clericos vo-
cabant, eos ab adolescentia certis exercitijs assuefa-
ciebant ad seruendum Ecclesiæ: quod melius intellis-
gerent, quotsum essent destinati, & paratores in
tempore ad officium accederent. Diaconorum au-
tem Apostolicis temporibus proprium munus non
fuisse prædicare Euangelion, & administrare Sacra-
menta, vel hinc duntaxat colligitur, quod ab Apo-
stolis ideo iussi sunt eligi, ut quia illis non erat plaz- Ad. 6.

P citum

estum derelicto sermone Dei, ministrare mensis,
his delegaretur hoc negotij: Apostolis interea de-
precationi & administrando sermoni incumbenti-
bus. Fuit tamen & hæc Diaconorum functio, non
prophana sed sacra, hoc est, ad sanctos vslus Ecclesiæ
destinata: quis enim prophanum munus dicat, pau-
perum curam gerere & membra Ecclesiæ fouere &
& vt caueantur rixæ & contentiones, omnibus æ-
qua ratione consulere? Itaq; nescio quid hic Iesuitæ
sacrum vocent, nisi fortassis vunctionem & tonsuram
intelligant, sine qua nemo sacri ordinis sacræ vls-
lius functionis particeps esse queat. Sed relinqua-
mus ipsis hæc anilia deliramenta, & Diaconorum
officia persequamur, quos & apud Lucam & apud
Paulum eosdem esse equidem non dubito: de qui-
bus etiam nescio, an honorificètius aliquid dici pos-
sit, quam quod à nostris Theologis scribitur: Non
aliam fuisse olim in veteri Ecclesia Diaconorum ra-
tionem, quam quæ sub Apostolis fuisse legitur. Os-
blations enim fidelium quotidianas, quas in itinere vo-
cabant, & annuos Ecclesiæ prouentus recipiebant,
vt conferrent in veros vslus, qui iuxta veteres Ca-
nones erant præcipue quatuor. Nam Ecclesiastico-
rum bonorum pars vna distribuebatur Clericis: id
est, qui vel ex parentum consensu, sumptibus Eccles-
iæ alebantur & instituebantur, tantisper, dum ad
aliquod munus in Ecclesia obeundum essent idonei:
vel iam reipsa seruiebant Ecclesiæ: alter autem
quadrans alendis pauperibus, tertius, tuendis ædi-
ficij, & alijs eiusmodi vslibus, parcè tamen & mode-
rate impendebatur. Deniq; quadrans qui supererat,

Episcopo

Episcopo concedebatur, non ut eo abuteretur pro suo arbitrio, sed ut sobriè & honestè viuens familiam frugaliter aleret, captiuitos etiam fratres redimearet, & pauperes aduenas exciperet. Onera igitur istiusmodi committebantur Diaconis: quos etiam oportebat Oeconomiaæ suæ quotannis rationem reddere eorum Presbyterorum collegio, cui Episcopus præerat: ut ex Canonum, qui Apostolis adscribuntur, quadragesimo primo, & Antiocheni Consilij Can. 24. & 25. animaduertitur. Postea vero cum opes Ecclesiæ amplificarentur, & difficultas oneris cresceret, attributi sunt Diaconis Hypodiaconi, quorum opera circa pauperes vterentur. Quibusdam etiam in locis propter opum amplitudinem instituti sunt ordinis exactionis et administrationis causa, Archidiaconi: ne quid ex bonis Ecclesiæ vel negligentia vel ullius fraude deperiret. Quod autem progressu temporis, Euangelij quoque ad populum lectio illis dabatur, & exhortatio ad precandum, quod item ad porrigendum in sacra coena calicem adhibebantur, id muneris ornandi causa siebat, quo maiori religione illud obirent, cum admonerentur talibus Symbolis, non esse profanam aliquam villicationem quam gererent, sed sacram & Deo dicatam functionem. An volunt Iesuitæ Diaconis, quales quidem in primitiva & Apostolorum temporibus vicina Ecclesia fuerunt, aliquid amplius a nobis tribui? Id nimirum, quod nescio qui fictitij Clementes & Ignatij illis tribuunt, huius enim farinæ nothos & ignotos authores nobis in marginibus obtrudunt: quos, ne quid callide præterisse videamur, iam lustrabimus.

P ii Primum

Primum IGNATII citant Epistolam ad Trallianos, cuius est apud omnes doctos suspecta authoritas. In ea autem epistola facit discrimen inter Episcopum & Presbyteros: ac inter cætera dicit: Oportet ergo et Diaconis, qui sunt in ministerium Iesu Christi, omni modo placere. Non enim in cibo & potu sunt ministri, sed ministri Ecclesiæ Dei. Oportet ergo præcepta eorum seruare, sicut ignem ardensem, &c. Et in eadem Epistola. Quid enim Diaconi, nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam; quomodo sanctus Stephanus beatissimo Iacobo, & Timotheus & Linus Paulo, & Anacletus & Clemens Petro, &c. Hæc si quis Ignati esse credit, credat etiam, si placet, Euangelio, quod Thomæ nomine circumfertur. Certè nō propterea Ignati sunt Epistolæ, quia sub Ignati nomine à Valentino Pacæo Apostata in Schola Dislingensi Græco sermone sunt aeditæ: aut si Ignati sunt, non profecto illius sunt, qui post Petrum alter in successione Antiochenæ Ecclesiæ Episcopatum sortitus, ac Romæ tanq; frumentum Christi bestiarum dentibus commolitus esse dicitur, vt panis mundus inueniretur: sed sunt alterius cuiusdam Ignati, Romanensibus magis quam Antiochenis & orientalibus noti: qui vt subtiliter & aliqua veri similitudine mentiretur, ad Ephesios, Magnesianos, Trallianos, &c. literas inscripsit: ad quos verum illum & *νίκην* Ignatium literas dedisse, ex Ecclesiastica historia didicerat.

Clementis Romani Epistola prima ad Iacobum fratrem

fratrem Domini, tam nō est germani illius Clemensi, quām certum est, utrācūq; ad Timotheum esse Pauli. Nam supposititiam esse vel hinc tantum eluscet, quod fingit ibi Clemens se Iacobo mortem Petri, ac veluti eius testamētū, vltimam scilicet concessionem, prescribere: cūm (ut omnes historicī testantur) Iacobus ille sit plus quām septem annos ante Petri mortem interfectus, Quonodo ergo potuit ei Clemens mortem Petri & nouissima verba prescribere: nisi fortè ei in purgatorium aut campos Elysios eam Epistolam miserit. Vnde apparet, eam postea ab aliquo impuro Romanista confictam: sicut & ante nostra tempora plures docti viri senserunt, & firmis rationibus afferuerunt. Quare nec Hieronymus ullam eius mentionem fecit, cūm alioqui non negligenter de eius scriptis differat. Sed age, fingamus eam vere Clementis esse. Quid igitur ad Iesuitarum facit institutum: Primum, non distinguit inter Diaconos & Hypodiaconos. Deinde, Diaconis nihil aliud officij assignat, nisi ut sint quasi oculi Episcopi, ne quis incidat in præcipitium: item horatē Laicos, ut frequenter docentē Episcopum audiant, & ut calamitosorum curam gerant: ut autem ipsi doceant, aut alia sacra munera obeant, nullum ibi verbum inuenias.

Evaristus Epistola prima ad Episcopos Apheticos scribit, in singulis ciuitatibus debere constitui Diaconos septem, qui custodiant Episcopum prædicantem, ne ipsi ab insidiatoribus quoquo modo infestetur suis, aut verba diuina detrahēdo; aut insidiando polluantur, vel despiciantur: sed veritas spissa

ritali redoleat fauore, pax prædicata labijs, cum voluntate animi concordet, &c. Præter hæc de Diaconis aut Hypodiacaonis, aut eorum officio nullum eo loco extat verbum.

Fabianus PP. Epistola prima, suo, hoc est, Pontificio more distinguit, & distincta officia partitur inter Diaconos, Hypodiacaunos, Acolutos, reliquosq; minores ordines. Sed quia in eadem Epistola Clementis ordinatio citatur, non minus nobis quam Pseudoclemens suspectus est.

Leo, sermonе de S. Laurentio nihil habet de Diaconis, quod nobis magnopere sit contrarium. Verba eius hæc sunt: Cum furor gentilium potestatum in electissima quæcpi Christi membra saeviret, ac præcipue eos, qui ordinis erant Sacerdotalis, impesteret, in Leuitam Laurentium, qui non solùm in ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persequitor effebuit. Quid obsecro hic est, quod non ipsi supra Diaconis quondam tributum esse confessi sumus? videlicet, ut substantiam Ecclesiasticam in usus necessarios expenderent, & calicem in sacra ecena porrigerent. Id quod Leo per ministerium Sacramentorum intelligere videtur.

Concilij Neocæsariensis Canonem 13. nescio in quem finem jesuitæ citent, cùm ne unus quidem apex de Diaconis in illo extet. Canon integer sic sonat: Presbyteri qui conregionales sunt, in Ecclesia præsentibus Episcopis vel Presbyteris ciuitatis offerre nō possunt, nec dare panem sanctificatum, nec calicem porrígere. Quod si absentes sint ciuitatis Sacerdotes,

Sacerdotes, & fuerint invitati ad dandam orationē, soli debebunt dare. Vicarij autem Episcoporum (quos Græci Chοrepiscopos vocant) cōstituti sunt quidem ad exemplum septuaginta seniorum, sed tanq̄ Consacerdotes propter solicitudinem & studiū, quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur. Enaudis de Episcopis, de Presbyteris, de Sacerdotibus, de Chοrepiscopis, de Consacerdotibus: sed de Diaconis, & Hypodiaconis ne gry quidem. Nisi forsan Iesuitæ putent Corepiscopos eisdem fuisse quos Diaconos: quod ne per febrim quidem vñq̄, quantumuis phreneticus somniauit. Sed fortassis 14. Canonem allegare voluerunt: qui tamen ut hodie in vsu non est, ita Iesuitis ne tantillum quidē patrocinatur. Est autem h̄c: Diaconi septem esse debent secundum regulam, quamuis non magna sit ciuitas. Regulæ autem auctoritas ista est, quod & liber Actuum Apostolicorum insinuat. Quid h̄c est, quæso, quod vel pro Iesuitis vel contra nos faciat? Verūm ita sine iudicio syluam allegationum congerere voluerunt, ut extremam paginæ simbriam complerent.

I E S V I T Æ.

Mulieres similiter pudicas, non detrahentes.

Vel de omnibus mulieribus h̄c sermo es̄t, vt Ambrosius existimat, vel de ijs, quæ, quoniam in Ecclesia munus aliquod locum, Amb. in hunc gerebant,

gerebant, suo sexui conueniens, ut Græci patres atq; alij ex-
Chrys. Theoph. posuerunt, Diaconæ vocabantur. Ex nullo autem veterum Ex-
&c, in eundem. positorum constat, de vxoribus Presbyterorum aut Diacono-
rum hic differi, quod tamē noui Euangelici mordicus tueruntur,
quorum interpretatio quamvis admiratur, nihil adhuc nouo
coniugio Sacerdotum patrocinatur: de ijs enim ageretur, que
antea in matrimonium duclæ fuerant, à quibus post ordinem
susceptum abstinentendum fuit.

RESPONSIo.

Nimis prosector verum est Ciceronianum illud:
Qui semel verecundiæ fines transierit, eum be-
nè & nauiter oportere esse impudentem. Id suo ex-
emplo Jesuitæ comprobant, hac quantumuis breui
Assertiuncula. Etsi enim tolerabile esset, si locum
Pauli vel cum Ambrosio de omnibus mulieribus,
vel cum Chrysostomo de Diaconissis interpreta-
rentur (nam quæ omnibus mulieribus, ea etiam cer-
to illarum generi conueniunt) tamen hoc nimis
quam impudenter & temerè ab ipsis affirmatur, ex
nullo veterum interpretum constare de uxoribus
Presbyterorum aut Diaconorum hic differi. Non
urgeo iam ipsum contextum verborum Pauli:
sed quia ad veteres interpretes prouocant, ac vni-
uersim eos locum hunc aliter quam nos interpreta-
ri vociferantur, non aliunde, quam ex veterum in-
terpretationibus hunc clamore compescemus. Thos-
mas igitur Aquinas apud Pontificios omni exce-
ptione maior: cuiuscè in Pauli Epistolas explana-
tionem

tionem ab ipso Paulo canonizatam, & insigni miraculo columbae super caput eius insidentis comprobata fuisse Pontificij quidam scriptores iactant, ad hunc locum lectione secunda sic annotauit. Primo (inquit) ostendit, quales debent esse Diaconorum uxores. Secundo, qualiter ipsi habeant se ad ilias. Et post pauca. Quae culpa est Diaconi, si vxor eius est mala? Respondeo. Aliquis a ministerio repellitur non solum propter culpam, sed etiam propter aliquod impedimentum ministerij. Et ideo si praeter culpam eorum possent mulieres esse malae, tum præstant impedimentum dupliciter. Primo, quia cum malae sunt, indigent maiori cura: & per hoc minus vacarent Ecclesiasticis ministerijs. Secundo, quia viri depravantur ex vxoribus. Item, eset in periculum, quia ministrorum Ecclesiae multi frequentant domos. Et lectione tertia. Dixit quod mulieres Diaconorum sint pudicæ. Et si in uxoribus pudicitia est habenda propter eos, amplius in ipsis est necessaria, ut sint omnino a contactu mulierum immunes. Sed quia secundum hoc pauci essent ministri, concedit, quod saltem sint unius uxoris viri.

Nicolaus de Lyra, qui si non lyrasset, (ut vetus verbum habet) totus mundus delyrasset, cum hunc locum enarrat, ad haec verba (non detrahentes) annotat: Quod frequenter contingit mulieribus: sed uxores ministrorum Ecclesiae debent præ cæteris moribus pollere. Eant nunc Iesuitæ, et clamitent, Aquinatem & Lyranum factos esse nouos Euangelicos, quia locum Pauli de uxoribus ministrorum

Q Ecclesiae

Ecclesiæ intelligent non secus quam Lutherani : aut, si malunt, hos duos ex numero veterum expositorum deleant. Sed ne id cum periculo faciant, præuilegium speciale à sanctissimo domino Papa, & Sorbona Parisiensi, & ordinibus fratrum tam Prædicatorum quam Minoritarum impetrant.

Sed pulchre sibi cauent Iesuitæ, cum aiunt, etiam nostra interpretatio admittatur, tamen coniugio Sacerdotum nouo (veteri) non patrocinari : de ihs enim agi, quæ ante susceptos ordines ductæ fuerunt, à quibus postea abstinentum fuerit. O dictum bene. Iam igitur unius loci quatuor habemus interpretationes, quarum prima omnes mulieres, altera, quæ ministerij dignitate sunt præditæ, Diaconissa: tertia, Diaconorum vxores, quarta, quæ non à Diaconis sed ad Diaconatum aspirantibus ductæ, et post adeptum Diaconatum non amplius cognitæ fuerunt, intelliguntur. Quid diceret, obsecro, Julianus, quid Porphyrius, quid Celsus, si adhuc essent superstites ? Quid valeant Christiani cum quadruplici vix quatuor syllabarum interpretatione, qui quid r^{et} uoxes aut vxores sonent, adhuc dubitant. Nos vero tertiam solum ut genuinam, & cum textu congruentem accipimus : primam & secundam toleramus : quartam vt falsissimam reiçimus : lectorem ad præcedentis Assertionis refutationem ablegantes: ubi post sacrum etiam ordinem Sacerdotes cum vxoribus concubuisse, liberosq^{ue} ex ihs suscepisse, copiose à nobis est probatum.

I E S V I T Æ.

Quæ

*Quæ est Ecclesia Dei viui, columna
& firmamentum veritatis*

VI.

Catholicam Ecclesiam intellige hanc adhuc militantem, quæ, Ephes. 4.
vel cœtus est omnium fidelium, qui per fidem & baptismum non in locum unum, sed in unam doctrinam & cultum unius Dei & Christi Iesu conueniunt: vel cœtus Procerum & Pastorum, qui reliquam multicudinem fidelium gubernant. Hæc dicitur columna & firmamentum veritatis, quod fundamento Apostolorum & Prophetarum, ipsoq; angulari lapide Christo Iesu stabilita & firmata, omnes, qui se totos ipsi permittunt, in veri doctrina stabiliat & firmet. Hæc est, quæ quoniam Spiritum sanctum semper assistentem habet, & Christo per fidem desponsata est, eodemq; tanquam capite vegetatur, nec excidere à fide potest, nec in his quæ sub fidem cadunt, aut ad mores pertinent ad salutem necessarios, falli Ephes. 5. Osee. 22 aut fallere, ne illius erroris causa, in Spiritum sanctum aut Christum ipsum deriuari videatur.

Matth. 16. 18.
Ephes. 2. Ioa. 14.
16. Matth. vlt.
Ephes. 5. Osee. 22
1. Cor. 12.

R E S P O N S I O.

EN tibi rursus pro una unius loci interpretationis duas, & duas Ecclesiæ definitiones: quarum quæ prior est, et veritati et instituto Pauli consona est: posterior, ut potè ab ictroq; dissentanea, merito à nobis exploditur. Etsi autem de hoc loco Pauli, quo Ecclesia columna & stabilimentum veritatis prædicatur, copiosæ & eruditæ nostrorum Præceptorum commentationes & scriptiones extant: tamen

Q uæ **i**n **q**uis

quia Iesuitæ veteres Coccysmos non cessant repetere, nec nos pigebit veram huius loci sententiam breviter perspicueç tradere. Primum igitur, cum Apostolus h̄c Ecclesiam tam magnifico elogio celebret, non loquitur de quolibet hominum cœtu, qui vel Dei verbo caret, vel id contemptim negligit, vel crudeliter persegitur: qualis est Ecclesia malignantium, hoc est, Prælatorum seu (ut Iesuitæ losquuntur) procerum Pontificiorum: sed disertis verbis mentionē facit Ecclesiæ, quæ sit domus Dei, quæ sit Ecclesia Dei viuentis: quæ ex incorruptibili seminé verbi Dei viuentis renata, & cum eodem verbo Dei arctissimè colligata, nihil ab illo alienum, aut pugnans recipit, aut pertinaciter usq; ad extremum defendit, quæ propter hoc ipsum verbum eiusmodi præconijs passim in scripturis ornatur. Cum enim nusq; diuina veritas nisi in verbo Dei, nusq; autē verbum Dei, nisi in scripturis sanctis inueniat, ac scripturarum sanctorū custodē, testemq; fidelem, Deus Ecclesiam in terris constituerit, Apostolus nō immerito eam columnam & stabilimentum veritatis appellavit: hanc enim sedulo conseruat, & de hac fideliter, integrè ac sincerè testatur. Alioquin scribit Apostolus Paulus Ecclesiam superstructam esse, super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Quod si in ædificio spirituali, non Ecclesia, sed scriptura Prophetica & Apostolica, hoc est, veritas (nam sermo tuus veritas est, inquit ad Pastorem Christus) fundamenti rationem & locum obtinet, suam profecto firmatatem veritas scripturæ nō habet

1. Pet. 1.

Ioan. 17.

habet ab Ecclesia, sed Ecclesia suam potius stabilitatem, scripturarum veritati & firmitati debet. Cum autem ex infinito scriptorum numero, solas, quas habemus in Biblio, canonicas scripturas, Ecclesia sua testificatione approbarit, non effecit quidem ex falsis, dubijs & prophanis, ut essent veræ, certæ & sacrosanctæ: sed quia per se tales erant, ideo tales, quales erant, suo calculo Ecclesia comprobauit. Non igitur quia Ecclesia scripturas veras & certas pronunciauit, ideo veræ ac certæ esse coeperunt: verum, quoniam per se tales erant, verax est Ecclesia, quæ id ipsum de scripturis est testificata, quod erant: ac si aliter fecisset, mendax fuisset Ecclesia. Et hac ratione Ecclesia dicitur columna & stabilimentum veritatis, tum quia commissa sibi oracula diuina, tanq; preciosissimum depositum custodit ac tuetur, tum quia de veritate & certitudine earum, contra omnes scripturarum hostes bona fide testatur, & pastoris vocem à luporum ululatu certo indicio dignoscit. Cum autem Pontificia Ecclesia, praeter, extra, & supra scripturas, quæ sunt verbuni veritatis, autoritatem sibi arroget, non est columna & stabilimentum veritatis, sed mendacij & vanitatis. Ac si quando veritatem profert, in mendacio eam detinet & depravat. Itaque omnes illas præclarissimas promissiones factas Ecclesiæ, omnes illas excellentissimas prærogatiwas, quibus in scripturis ornatur: & quas consignatis ad marginem multis scripturarum locis Jesuitæ allegarunt, libenter fatemur ad Ecclesiam pertinere: verum non ad Ecclesiam Pontificiam,

Q iij quæ

quæ est colluuius Paparum, Cardinalium, Pseudor
episcoporum, Sacrificulorum, Monachorum, & hu
ius farinæ perditorum hominum: sed ad Ecclesiam,
de qua paulo ante diximus, quæ est cōgregatio hos
minum, sacras scripturas amplectentium, atq; ex ijs
dem cooperante Sp̄itu sancto, verè agnoscētūm
& confitentium vnum Dei, hominumq; mediato
rem Christum, qualem se verbo & Sacramentis pa
tesfecit, cui se totos, ac vniuersam salutis suæ ratio
nem permittunt, quicunq; vera & viua Ecclesiæ
membra esse volunt. Ideoq; quantumuis aliquando
errent & labant, vt iustificetur Deus in sermonibus
suis, & vincat, cum iudicatur, non tamen in errore
perseuerant, nec finaliter à gratia & salute æterna
excidunt: cadentes enim, domino supponente mas
num, non colliduntur. Humanum (inquit ille) est ers
rare: in errore autem perseuerare, diabolicum. Sic
Ecclesia etiā in his terris, à qua humani nihil alienū
est, errare potest: nam remissionem peccatorum, &
credit & quotidie orat; sed in errore perire, & è mas
nibus Christi eripi non potest. Solidum enim stat
fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Nouit
Dominus qui sint sui.

Psal. 51.
Match. 24.
2. Thes. 2.

Summa igitur hæc esto: Quod vera Ecclesia, per
verbum à Sp̄itu sancto ita gubernetur, vt, etiā finit
eam in his terris esse imbecillem (caro enim non
prosper commutatur in spiritum) conseruet tamen
eam perpetuò, ne vel erroribus vel peccatis pere
at. An hoc in Christum & spiritum eius sit conu
meliosum, & an hoc pacto culpa errorum in Deum
deriuetur.

deriuetur, (vt horribiliter blasphemant lebusitę) iuxta
dicent omnia membra Ecclesiæ, quæ in luctu & in-
terdum etiam victoria carnis aduersus sp̄iritum;
non sancto Sp̄iritu sed carnis suæ, vicio culpam er-
rorum ac peccatorum adscribunt. Vnde etiam cum
Paulo exclamat: O nos miseros homines, quis nos Rom. 7.
eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Gratias ag-
gimus Deo per Iesum Christum Dominum nostrum.
Et cum Davide: Errauimus sicut oves quæ perie- Psal. 119.
runt, quære seruos tuos Domine. Et libera nos à
malo, Amen.

I E S V I T A E.

E X C A P . I I I I .

*Spiritus manifestè dicit: quòd in nouis-
simis temporibus discedent quidam à fi-
de, &c.*

Hæc aduersus Marcionitas, Encratitas & Manichæos, si-
milesq; hæreticos dici, qui vel cibos aliquos, tanquam suapte
natura prohibitos, vel nuptias tanquam à Sathanæ profectas,
condemnabant, & ex iisdem verbis Apostoli, cum historiâ,
qua de illis extat, comparatis, constat, & ex veterum Pas- Hiero. lib. 2. ad-
trum, Ambrosij scilicet, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, uer. loui. Aug.
Epiphanij, Theophylacti & cæterorum consentientibus sen- hæres. 25. 46. 61.
tentijs. Quare imperie detorquentur hæc à nouis Euangelicis & contra Faust.
in Pontifices, & ordinum religiosorum institutores. Nec enim lib. 15. c. 10. Epi-
phan. hæres. 42.
ipſi

47.68, reliqui in ipsi à fide discesserunt, qui fidem maiorum suorum reuinuerunt,
hunc locum. nec nuptias prohibuerunt, nec cibos à Deo existere negauerunt, quæ tamen omnia ijs, de quibus est hic sermo, ab Apostolo tribuuntur.

RESPONSIO.

Q Via Papistæ propter prohibitionem coniugij & certorum ciborum, cauterio notatas habent conscientias, libenter istas conscientiae labes & maculas eluerent. Itaque vafro & astuto cauillo hanc Prophetiam Pauli conantur eludere, & à se ad alios detorquere: Aduersus Marcionitas, insciunt, & Encratitas & Manichæos, similesque hæreticos ista dicuntur. Quasi vero soli illi taxentur, ac non omnes ij, qui in eadem noxa sunt. Nam si inter hæreticos, ut quisque fuit tempore posterior, ita culpam à se amoliri, & in priores deriuare voluisse, potuissent Manichæi eodem uti effugio, reiçendo Pauli sententiam ad Cataphryges: hi ad authorem suum Pseudoparacletum Montanum, hic rursus ad Encratitas & Tatianos, illi ad Seuerianos, hi ad Martionitas, hi ad Cerdonem, &c. atque sic continua serie, alter alterum veluti reum suo loco potuisset supponere, donec fortassis ad Pythagoram fuisset decentum: ubi Plato iussisset quiescere. At qui eadem impietate laborant, eodem reatu obstricti tenentur: qui eadem hypocrisi nuptias & cibos prohibent, eodem fulmine Paulinæ Prophetæ prosteruntur: denique qui eiusdem dæmonis dogmata profitentur,

prosperentur, eandem damnationem meritò sustinēs. Quanq̄ si quis rem penitus inspiciat, magis hæc de Papistis, quām de Manichæis & Marcionitis prædicta esse fatebitur. Primum enim Paulus postremis temporibus hanc defectionem à fide futuram vaticinatur. Etsi autem sæpè totum tempus noui testamenti, quod inter primum & secundum Christi adventum intercedit, nouissimum tempus, imo nouissima hora dicitur: tamen hæc generalis nouissimi temporis appellatio ipsius etiā partibus nonnunq̄ tribuitur. Sic Paulus loco in 1. Tim. 4. posteriora & extrema tempora, non sua & primitiæ Ecclesiæ dicit, sed quæ futura erant media inter primam & ultimam partem nouissimi temporis. Et certè longius respicere voluit, quām ad vnum saltem, aut duo secula Apostolorum temporibus proxima. Marcion autem temporibus Antonini Pij Imperatoris, circa annum Christi 150. sua sparsit deliria, & hunc subsecuta mille hæreticorum monstra pleraq; proximis 150. annis ante Constantini Magni tēpora desceuierūt. Itaq; vix scio, an illi veteres hæretici inter postrema tēpora, de quibus Apostolus loquit̄, referri possint. Deinde Paulus inquit, hos doctores in hypocrisi loquuturos esse mendaciū. Quis hęc nō videat de Monachis & hypocritis in Papatu accipienda esse? Nam de Manichæis & Marcionitis, qui palam blasphemarunt, & apertissimè insanierunt, non aptè possunt intelligi. Sed agè, demus sanè Iesuitis, etiam de Marcionitis & Manicheis intelligenda esse: num propterea ipsi à crimine sunt immunes? Minime vero. Paulus enim non tam de personis agit, quām de re ipsa & dogmatibus. Quamobrem etsi sexcentę

1. Joan. 2.

R. producan-

producantur diuersæ sectæ , quæ tamen eadem hypocrisi de nuptijs & cibis interdicendis fascinatæ sint: omnes eidem culpe obnoxias fore quis dubitet? Itaq; friuolo & misero suo effugio nihil aliud consequuntur lesuite, quām ut culpe & poenæ socios plures inueniant: iuxta vulgatum versiculum: Solamen misero est, socios habuisse malorum.

Sed excipiunt: aliam esse ipsorum quām Marcionitarum & similium veterum hereticorum rationem. Hos enim cibos aliquos tanq; simpliciter & suapte natura prohibitos reieccisse: se autem certis tantum diebus abstinentiam exigere à carnibus, nō tanq; per se vetitis, sed propter Ecclesiæ constitutio nem interdictis. Illos simpliciter omnibus vsu consuugij, tanq; à Sathanæ profecti interdixisse: se autem solos Sacerdotes & Monachos cum Monialibus ad votum castitatis cogere: non quia simpliciter malæ sint nuptiæ, sed quia sacratis personis malæ, & ad perfectionem tendentibus impedimento sint. Verum & hæc calua est excusatio. Perinde enim est, ac si Tyrannus iniquam nō esse legem contendat, quæ non toti ciuitati, nec omnibus temporibus, sed parti duntaxat ciuitatis & definito tempore, imponatur. Puerilis ergo est & ridicula argutiola, quod prohibere se negant, quia certis temporibus cibos & certo hominum generi nuptias prohibent: atqui sanctimoniam nihilominus, & meritum expiationis peccatorum, in hac abstinentia collocant. Deinde hominum mādatis Deum colere volunt, atq; sic puerum Dei cultum suis adinuentiunculis & traditius unculis vitiant & coinquinant. Postremo conscientias

tias alligant necessitatē, à qua debebant esse liberae: & quos Christus in libertatem afferuit, eos rursus seruili iugo subiiciunt. Quę igitur temeritas est, pietatem in superstitione collocare & contrarias Dei verbo leges fancire Christianorum conscientias hominum praeceptis illaqueare? Certè à quocunq̄ dimanarit hęc doctrina, damnatur ab Apostolo: siue Cataphrygum sit, siue Manichaeorum, siue Papistarum, siue Franciscanorum, siue Carthusiensium, siue deniq̄ Iesuitarum: Dæmonum doctrinæ sunt, etiamsi vel e cōlo Angelus deferret. Adhęc Pontificij iisdem argumentis coniugium Sacerdotum improbant, quibus in vniuersum omnium hominum coniugium damnaretur, si vera essent & apta. Huc enim detorquent dicta scripturæ: Qui in carnē sunt, Deo placere non possunt. Et: Non in cubilibus nec in lasciuījs, &c. Et: Sancti estote, &c. Et: In mundis omnia immunda. Quibus omnibus nec misericordia inepte, nec minus impie abutuntur Papistæ, quam olim Marcionitæ, & similis farinæ hæretici. Apud Eusebium inter cætera Montano exprobras Eccles. hist. li. 55. tur, quod nouus ille Doctor coniugia dissoluere do- ca. 18. cuerit, & ieuniorum leges præscriperit. Non dicitur, in vniuersum prohibuisse matrimonium aut cibos. Sed satis superq̄ satis est, superstitionem metum conscientijs iniecisse, & earum rerum obseruatione Deum præcepisse colere. Nam fides & religio sincera docet, liberum esse cuiuslibet viro & foeminæ, ut in Dño matrimonium cōtrahat: vt hoc vel illo cibo in hoc vel illo die vescaf. Iam igit̄ harum liberarū rerū prohibitio, siue generalis sit, siue specialis, semper est.

R ī impia

impia tyrannis, et conscientiarum carnificina, & dos
 strina dæmoniorum, & discessio à fide maiorum,
 hoc est, Prophetarum, Apostolorum, & syncerio-
 rum doctorum veteris Ecclesiæ. Nam si Iesuitæ per
 maiores suos intelligunt, aliquot seculorum Ponti-
 fices Romanos, & qui his iuramento addicti fue-
 runt, Prælatos Ecclesiæ: fatemur sanè ipsos à fide
 horum maiorum ita non discessisse, ut impietates
 eorum duplo plus auxerint. Nemo enim, quod ego
 sciam, illorum omnium, tam absurdam, atq; à Chris-
 tiana religione alienam vocem emisit, ut Sacerdos-
 tem vxorem ducentē grauius peccare diceret, quam
 scortantem, aut adulterantem. Nostra primum tem-
 pestate exorti sunt Catholici, si dijs placet, qui id
 omni asseveratione adfirment. Qui, quantum à Ta-
 tiano Encratitarum duce distent, si modo eum non
 superant, hinc coniucere licet, quod illum (Tatia-
 num inquam) asseruisse scribit Eusebius: Non mi-
 nus Deo displicere coniugium quam scortationem.
 Hunc si inter maiores suos Iesuitæ numerant, paren-
 tum ingenia soboles non male imitatur: Malū enim
 corū malum ourum. Sin eum non inter proauos &
 progenitores suos recensent, dogma tamen quod
 ipsis eum illo commune est, testatur, eos in eadem
 eorundem dæmoniorum schola eruditos, ac eadem
 hypocrisi imbutos esse: vt, si filij Marcionis ac Tatia-
 ni non sint, eorum tamen condiscipuli & commili-
 tones iure optimo dici mereantur. Itaq; que Hiero-
 nymus, Augustinus, Chrysostomus, Epiphanius,
 Theophylactus, olīm, cum Iesuitarum nomen adhuc
 ignotum esset, de Marcionitis, Encratitis & Mani-
 chæsis

cheis dixerunt, ea hodie quoq; si in terris essent su-
perstites, de Iesuitis diceret: nisi si fortassis hos tanq;
dociles discipulos veteres illos, vt pote rudiores, su-
perasse faterentur: πομοὶ τρέπεται κρήτες λαγῆσσανθωγ.

I E S V I T Æ .

*Illi quidem, qui castitatem suam Deo deuouerunt, nuptijs II.
necessario interdicuntur, quod naturæ Læx atq; diuina postulet Num. 30. Deut.
(ut in sacris libris frequenter legimus) quod Deo vovimus, 23. Ecc. 5. Exod.
maxime præstandum esse. Ieiunia vero, & aliquorum ciborum 34. 3. Reg. 19.
qui magis nutriunt, abstinentiam, vel ad corporis lasciviam Iudit. 8. Esth. 4.
reprimendam, vel ad Dei donum aliquod præsidiumq; impe-
trandum, vel ad malum impendens auertendum, vel aliorum
offensionem evitandam, sanctissimè suscipi & præcipi posse, per Matt. 4. 11. 17.
spicuum est. Nam præter sacrarum literarum autoritatem, Act. 13. Ro. 14.
atq; sanctorum patrum doctrinam & exemplum, sola Quadra- 1. Cor. 8. Can.
gesimæ traditio id probat: quam esse Christi vel Apostolorum, Apost. 68. Cle.
ex eiusdem antiquitate, ex Canone ipsorum Apostolorum, ex epist. 1. ad Iac. I= gnat. epist. ad
consensu totius Ecclesiae, ex verbis deniq; Clementis, Ignatij, Phil. Ori. hom.
Origenis, Hieronymi, Ambrosij, Chrysostomi, Leonis & alio. 10. in Leuit. Hie-
rum, planè compertum est. ron. in cap. 2.
Ionç. Amb. ser.
34. 36. 37. 38 & lib. 4. super Luc. c. 2. Chrysost. hom. 1. in genes. Leo epist. 8. & 13.
Cassian. lib. 6. ad Leon. Imp. Isidorus lib. 6. Etymol. c. 18.*

R E S P O N S I O .

D E votis vetus est & magna disputatio, à nos
stris Theologis diligenter tractata & pertra-
ctata: ad quorum scripta lectorem remittimus. Bres-

R ij uiter

riter autem duplex est votum. Primum, communè omnium Christianorum, quo in vnius Dei nomen inaugurati, pollicentur illi omnem obedientiam, ac renunciantes Diabolo, omnibusq; eius operibus & pompis, totos se diuinæ voluntati resignant. Id votum nuncupatum in Baptismo, confessione, & Cœnæ dominicæ sumptione confirmatur: estq; sine dubio seruandum omnibus, qui perire nolunt. Alterum est speciale seu personale, quod quis sua sponte Deo promittit. Hoc, vt Deo placeat, necesse est ut sit pium & possibile. Pietas voti, tum è regula verbi diuini, tum è fine, propter quem vowedur, æstimanda est. Cum enim votum sit pars religiosæ invocationis & confessionis Dei, fieri debet secundum verbum ipsius. Nihil igitur vouere licet, nisi conscientia prius statuat ex verbo Dei, placere Deo, cui nuncupatur votum. Adhæc finis esse debet legitimus, non ad expianda peccata & promerendam vitam æternam, sed ad testandam obedientiam, vt vouens cauitor reddatur, & quasi stimulis quibusdam ad officia pietatis excitetur. Atq; hoc pacto speciale votum communi voto, quod in Baptismo nuncupatum est, non contrarium, sed analogum esse debet ac conueniens. Deinde votum debet esse possibile, & possibile secundum ordinariâ Dei gratiam, nam absolutam potentiam Dei regula non metimur. Itacq; diligenter perpendendæ ac ponderandæ sunt vires, quid & quantum præstari a nobis queat, ne maiora tentemus, quam possimus exequi. Diligenter etiam consideranda rei, quam voturi sumus, magnitudo ac difficultas, & æqua lance hinc nostra.

nostra facultas, illinc negotij grauitas trutinanda.
Omnia autem vota, secus quam nunc dictum est,
facta, utpote non iuxta præscriptum verbi, nec in
legitimam finem suscepta, & præstitu impossibilia,
plane tanq; impia, aut certe temeraria rescindi des-
bent. Nullum enim vinculum esse potest, ubi, quod
homo confirmat, Deus abrogat. Vulgata regula li-
ris est: In malis promissis fidem rescindendam esse
sic in impiis voto decretum est mutandum. Recte e-
niam Bernhardus: Malum (inquit) quod promisisti,
non facias; quod incaute vouisti, non impleas. Im-
pia est promissio, quæ scelere adimpletur. Ad has Num.³⁰,
regulas accommodanda sunt præcepta in scripturis, Deut.²³,
vbi id quod vouimus Deo, iubemur reddere. Proin^{Eccles.5.}
de, Monachus, Monialis, Sacrificulus, cum perpe-
tuum coelibatum voverint, possunt & debent bona
conscientia votum suum rescindere. Primum enim
suum Monachismum & coelibatum pro cultu Dei
estimant: aperte autem cum voto communi omni-
um Christianorum, & cum regula verbi Dei pu-
gnat, colere Deum mandatis hominum. Deinde te-
merè nuncupant, quod præstare suis viribus non
possunt: natura enim hominum è prima creatione
Dei ad generandum apta condita est. Cum natura
igitur ipsa pugnat sterilitas: ac nisi Deus à commu-
ni conditione aliquem per peculiarem prærogati-
vum eximat, castitatem perpetuam non magis ser-
uare potest, quam perpetuam ab esu & potu absti-
nentiam. Prætereo iam impias appendices, quas Pa-
pistæ votis annexunt: vt, quod dicunt vota esse os-
pera supererogationis: vota esse consilij, non præ-
cepti;

cepti: Quæ cùm voto fiant, magis esse meritoria, quam quæ sine voto: Voto solui matrimonium: Voto cùm Monachatus esse quasi alterum Baptismum: In votis dispensari non posse, nisi authoritate Papæ: Vota esse satisfactiones pro peccatis: Denicq; vota esse perfectionem Euangelicam. Hæc nos vota, tans quam minimè deuota deuouemus, execramur, damnamus, & vel contra omnes portas inferorum his diuinis testimonijs innitimus ac præualemus.

Rom. 14.

Quicquid ex fide non est, peccatum est.

Esa. 29. & Matth. 15.

Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.

1. Cor. 7.

Satius est nubere, quam viri.

2. Cor. 3.

Vbi spiritus Domini, ibi libertas.

Concil. Arauicanum.

Nemo quicq; Domino recte voverit, nisi ab ipso acceperit, sicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.

Cyprianus lib. 1. Epist. 11. de virginibus Deo dicatis.

Quod si se ex fide Christo dicauerunt, pudicè & castè sineulla fabula perseverent: ita fortes & stables præmium immortalitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant, quam in ignem delicijs suis cadant.

Augustinus

Augustinus in lib. de bono viduitatis. & citatur Dist.
27. Ca. Quidam.

Quidam nubentes post votum , afferunt adulteros esse. Ego autem dico vobis, quod grauiter peccant, qui tales diuidunt.

In eodem libro cap. 21. non audet virginitatem Ioannis Baptista præferre coniugio Abrahæ.

Concilium Gangrense Ca. 10. & repetitur Dist. 30.
Ca. si quis propter.

Si quis ex his qui virginitatem propter Dominum seruant, extollitur aduersum coniugatos, anathema sit.

Idem Can. 9.

Quicunq; virginitatem custodiens, aut continenter studens, velut horrescens nuptias temerat, nec propter hoc quod bonum & sanctum est nomine virginitatis assumit, anathema sit.

27. q. 1. Ca. nuppiarum. Ex Augustino.

Qui dicunt talium (qui continentiam voverunt) nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acute ac diligenter considerare quid dicant.

Amb. super 1. Cor. 7.

Non debet quis constringi, ne à licto prohibitus illicita admittat.

Idem lib. 1. de virginibus.

Non imperari potest virginitas, sed optari.

Iam vel sola hæc postrema verba Ambrosij confer cum verbis lesuitarū & videbis ea

S discrepare.

discrepare. Iesuitæ dicunt: illis, qui castitatem Deo
vouerunt, nuptijs NECESSARIO interdicitur. Ambro-
sius contra ait: Non imperari potest virginitas,
sed optari. Usq; adeò non à sacris tantum literis,
sed ab erudita etiam antiquitate, abhorret Iesuita-
rum impia violentaq; ad cœlibatum coactio.

IBI V N I O suas laudes, quas scriptura ei tribuit.
minime omnium detrahimus. Vsus etiam ac fines
illos, quos Iesuite recensent, acceptamus. Nam quod
inter cetera dicunt, Ieiunium ad Dei donum ali-
quod præsidiumq; impetrandum prodesse, id can-
didè interpretabimur, quod illud Ieiunio non ex o-
pere operato tribuant, sed quia Ieiunium precatione
attentiore & ardentiore efficiat, per quam sane,
si ex fide in Christum proficiscitur, omnis generis
dona & auxilia diuina impetrantur. Sic ergo non
immediate, sed mediate Ieiunio tribui potest, quod
alioquin fideli orationi tribuitur. Porro quod Ieiu-
nium in certorum ciborum, qui magis nutriant, ab-
stinentia potius, quam in sobrio & temperato vnu-
omnium esculentorum ac poculentorum collocant,
hypocriticum magis est quam Christianum: quem-
admodum illud etiam quod de Quadragesimalis ie-
junij traditione garriunt, quam dubitanter VBL
Christo, VBL Apostolis tribuunt, nos autem extra
omnem dubitationem, nec Christi nec Apostolorū
esse constanter assueramus. Etsi enim Christus mi-
raculose, diuina virtute quadraginta dies & noctes
ieiunauit: tamen ut id exemplum imitemur, nec ip-
se mandauit, nec fert rerum natura. Quod autem
Christus & Apostoli pios ad Ieiunandum hortan-
tur,

tur, id non ad Quadragesimale, sed ad perpetuum
ieiunium toto vitæ nostræ curriculo seruandum
pertinet: quanç & diarium (vt vocant) ieiunium
suo exemplo Prophetæ, Christus & Apostoli in cer-
tis quibusdam casibus pro re nata, obseruandum
comendarint. Eius enim in primitiua Ecclesia, pis-
um vsum fuisse ex Actis Apostolorum constat. Ses-
cuta autem est postea magna varietas obseruationis
id genus ieiunij in Ecclesijs: quæ tam abest ut Eccles-
iae aliquod incommodum attulerit, vt magis liber-
tatem Christianorum circa vsum huius ieiunij testis-
ficata fuerit. Vnde ortum est memorabile illud dis-
cumentum Irenæi Lugdunensis Episcopi, quod ab Eu-
seb.lib.5.cap.26.recitatur: ieiuniorum discrepancia
fidei unitatem & consonantiam commendat.

Socrates lib. 5. Ecclesiast. hist. cap. 22.

Nusç igitur Apostolus, nec ipsa Euāgelia iugum
seruitutis illis imponunt, qui ad prædicationem ac-
cedunt. Necç seruator hoc, aut Apostoli nobis lege
aliqua obseruandum esse mandarunt, necç poenam
nobis aut supplicium Euangelia vel Apostoli, sicut
Iudeis Lex Mosi, comminatur. Erat enim scopus
Apostolis, non de festis diebus sancire, sed rectam
vitam ac pietatem inducere.

Et paulò pōsc.

Nulla religio eosdem ritus custodit, etiam si ean-
dem de illis doctrinam amplectatur. Etenim qui es-
sudem sunt fidei, de ritibus inter se dissentunt. Ies-
iunia ante Pascha inuenire, est aliter ab alijs custodi-
ri. Romani namq[ue] tres ante Pascha septimanas pra-

S ij ter

ter Sabbatū & Dominicā cōtinuas iejunāt. Illiyri-
ci & tota Hellas & Alexandrini, ante sex septimās
nas iejunium ante Pascha iejunant, illudq; Quadra-
gesimam vocant. Reliquorum autem præterea alij
ante septem hebdomadas festi huius iejunium ordi-
untur, ac solos quindecim dies per interstitia ieju-
nantes, nihilominus & ipsi tempus hoc Quadragesi-
mam vocant. Inuenire autem licet, non modò circa
numerum dierum dissentientes, sed & non eandem
ciborum abstinentiam retinentes. Nam alij omnino
animatis abstinent, alij vero ex animatis, solos pi-
sces comedunt: nonnulli cum piscibus etiam vola-
tilibus vescuntur, & illa secundum Mosen, ex aquis
prouenisse dicentes: alij & baccis & ouis abstis-
tent. Aliqui solum aridum panem manducant: non
nulli ne hunc quidem. Sunt qui ad nonam horam
vscq; iejunantes varijs cibis vtantur. Aliter apud as-
tas gentes iejunatur, cuius rei innumeræ sunt cau-
sæ. Et quoniam hac de re nemo scriptum aliquod
mandatum ostendere potest, liquet quod & illam
Apostoli cuiusq; sententiae ac voluntati liberam re-
liquerint, ne metu quisq; vel ex necessitate quod
bonum est operetur.

Augustinus Epistola 68. ad Casulanum.

Ego in Euangelicis & Apostolicis literis, totoq;
instrumento, quod appellatur testamentum nouum,
animo id reueluens, video præceptū esse iejunium.
Quibus autem diebus oporteat non iejunare, &
quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolo-
rum non inuenio definitum. Ac per hoc sentio, non
quidem ad obtinendam, quam fides obtinet iustis-
tiam,

tiam, in qua est pulchritudo filiae Regis intrinsecus,
sed tamen ad significandam requiem sempiternam,
vbi est verum Sabbathum, relaxationem quam con-
strictionem iejunij aptius conuenire.

Idem sermone 157. de tempore.

Sunt quidam obseruatores Quadragesimæ deli-
tiosi potius quam religiosi, exquirentes nouas sua-
uitates magis, quam veteres concupiscentias casti-
gantes: qui preciosis copiosisq; apparatibus fru-
ctuum diuersorum quorumlibet varietates & sapo-
res superare contendunt. Vasa in quibus coctæ sunt
carnes tanq; immunda formidant, & in carne sua
ventris & gutturis luxuriam non reformidant.

ALLEGANT Iesuitæ ad confirmandam Quadra-
gesimæ traditionem tanquam Apostolicam, Cano-
nem Apostolorum 68. qui stricte præcipit Episco-
pis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus & Cantori-
bus, obseruare iejunium quadragesimale. Verum is
Canon non habetur in exemplari Moguntiæ im-
presso. Quidam enim Ecclesiastici scriptores recipi-
unt tantum 50. Canones, quod Carranza Domini-
canus, Conciliorum & Canonum diligentissimus
collector non dissimulavit: De Canonibus (inquit)
Apostolorum varie tradiderunt scriptores Eccles-
iastici, vt diligenter annotauit Gratianus in suo
volumine Decretorum Dist. 16. Quidam in totum
reiecerunt tanquam Apocryphos. Alij admiserunt
sexaginta, vt Zephirinus Papa scribens Episcopis
per Siciliam constitutis, Alij vero quinquaginta re-
cipiunt, vt Leo nonus Papa contra Epistolam Nice-
ti Abbatis. Sexta autem Synodus recepit & probas-

S iii uit

vit 85. in Can. 2. prout in Græcis etiam exemplaribus feruntur. Hactenus Carranza. Eat nunc qui ves lit, & fidem adhibeat, istis vndequaq; commendatis Canonibus: nos sane in eorum sententiam concedimus, qui eos inter Apocrypha retulerunt.

Idem de Clementis Epistola ad Iacobum fratrem Domini iudicandum esse suprà demonstrauimus. Sed tamen & ipsa nihil jesuitico ieunio patrocina tur. Hortatur quidem Iacobum Clemens sub nomine Petri ad sobrietatem, & ad ferendas calamitates quæ obtigerint, famem, siti, nuditatem, &c. nullius autē Papistici ieunij mentionem facit, quod ego quidem inuenerim.

Ignatius, quicunq; tandem ille sit, in Epistola ad Philippenses sic scribit: Quadragesimam nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet Dei conuersationis. Hebdomadam etiam passionis nolite despicer. Quarta vero & sexta feria ieunate, reliquias pauperibus porrigentes. Quicunq; Dominis eam aut SABBATHVM ieunauerit, præter vnum Sabbathum Paschæ, IPSE EST CHRISTI INTERRECTOR. Si hoc testimonium Papistæ recipiunt, se se Christi interfectores esse fateantur necesse est, ut pote qui singulis Sabbathis ieunandum esse docer, non minus quam sextis ferijs.

Citant præterea Origenem, Hieronymum, Ambrosium, Chrysostomum, Leonem, Cassianum, Isidorum: quas eti oës recte & aptè citassent, possunt tamen ex eorum scriptis alia & contraria proferri testimonia, in quibus de ieunio non Papistice sed pie

pię & Christianę, ac vt hodie loquuntur Lutheranę
sensisse dixisseq; intelliguntur.

Origenos in Leuit. 16. Hom. 10.

Tu si vis ieunare secundum Christum, & humiliare animam, omne tibi tempus est aptum totius anni, imò totius vitæ tuæ dies habeto ad humilandum animam tuam, si tamen didicisti à Domino salvatorem nostro, quia mitis est & humilis corde. Ieiuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiae, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriae concalescas, &c. Tale ieunium Deo placet. Abstinere vero à cibis, quos Deus creauit ad percipientem cum gratiarum actione fidelibus, & hoc facere cum his, qui Christum crucifixerunt, acceptum esse non potest Deo, &c.

Et post pauca, cum de Quadragesimali abstinenzia dixisset, & de feria quartæ ac sextæ ieunijs, subiicit: Est certè libertas Christiano per omne tempus ieunandi NON OBSERVANTIA & SUPERSTITIONE, sed virtute continentiae.

Hieronymus ad Nepotianum.

Tantum tibi ieuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicita, moderata, & non superstitionis ieunia.

Chrysost. in Martb. ca. 13. Homil. 47.

Rectam vitam appello, non ieunandi laborem, nec cilicij ac cineris lectulum, sed si pecuniam non aliter quam oporteat, despicias: si charitate ardeas, famescentes pane tuo nutrias, si superior ira sis, si gloriam inanem non concupiscas, si inuidia non detinearis.

cinearis, Hæc enim ipsius documēta sunt. Non enim dicit ieunium suum esse imitandum, quamuis quædraginta illos dies posset proponere, sed, Discite à me, quoniam mitis sum ac humilis corde: Imò vero contrā: Omne quod apponitur vobis, comedite, insquit. De pecunijs autem quām exactissimè mandauit dicens: Non possideatis aurum neq; argentum, nec æs in zonis vestris. Hæc dixi, non quia ieunium mihi non placeat, quod magnis soleo efferre laudibus, sed quia doleo, si cæteris neglectis, satis ad salutem vobis ieunium existimetis, quod in choro virtutum ultimum certè locum sortitur. Præcipue nanc; virtutes sunt, charitas, humilitas, misericordia, quæ vel virginitatem superat.

Hæc & similia testimonia non eò à nobis recitantur, quod nesciamus posse ḥs alia aliorum scriptorum, vel etiam illorum ipsorum dicta opponi: sed vt ostendamus, quām necessarium sit, vt cum apud veteres reperiantur dissimiles loquutiones & sententiae, eas eligamus, quæ sacris literis sunt consentaneæ. Negari enim non potest, quin immodicis ieunij laudibus, quas subinde crepant, superstitionis quædam semina iecerint, & occasionem tyrannidi, quæ postea exorta est, præbuerint. Nos autem priuata ieunia ita commendamus, vt non pro diuinis & meritorijs cultibus habeantur, sed præstans tioris finis causa suscipiantur: nempe vel vt lasciuens caro quasi fame dometur: vel vt ad preces serio cordis affectu concipiendas nos ipsos præparemus: vel vt nos totos cum vero animi dolore coram Deo abiçiamus, & testionijs etiam externis tum nos ipsos,

ipos, tum alios ad poenitentiam excitemus. Deniq^{ue}
nullam iejunij Diarij legem præscribimus, quoniam
id Iudaismo potius conuenit, quam Christianismo:
sed hoc singulorum liberę voluntati, pro sua cuiusc^p
necessitate aut opportunitate relinquimus. Gene-
rale autem iejunium, quod in perpetua sobrietate &
temperantia consistit, omnibus modis commendar-
mus, & ad illud vniuersos simul ac singulos pro vi-
rili nostra cohortamur.

I E S V I T Æ.

Quia omnis creatura Dei bona est, &
nihil reijciendum, quod cum gratiarum a-
ctione percipitur.

Fideles illi sunt & veritatem agnoscunt, qui cibos omnes à
Deo factos, atq^{ue} sibi ad ysum moderatum datus, probè nouerunt,
nō autem fabulis Hereticorum credunt, à malo scilicet prin-
cipio eos existere, aut si à bono, non tamen ad sumendum condic-
tos, propter aliquid diuinum in illis diffens. Interim tamen in-
telligunt, bonorum ciborum malum esse ysum, si contra præce-
ptum datum illis vt tantur: bonum enim fuit pomum, cuius esu Num. 11.
peccatum in totum hominum genus infectum est: boni fues, Deut. 14.
bonae animantes non emissio sanguine suffocatæ, boni & pisces
squama carentes, bona deniq^{ue} carnes idolis immolatæ, quibus Act. 15.
tamen vesci, propter disiunum vel Apostolicum præceptum, Can. Apost. 62.
minimè licuit.

III.

Gen. 1, 2, 3.

T Responso.

RESPONSI.

In hac Assertione nihil quidem per se impie, sed aliqua tamē nimis frigide, aliqua ambigue dicuntur. Frigidū & dilutū est, quod per fideles & veritatem agnoscentes, illos intelligunt, qui cibos omnes à Deo factos, atq; sibi ad usum moderatum datos nouerunt: Quasi verò non idem sciat Ethnicus, Turca, Iudæus, Hypocrita: qui tamen nec fideles sunt, nec veritatem agnoscunt. Apostolus autem per fideles & veri scientes intelligit eos, qui cum fide in Christum corda purificata habeant, sciunt mundis omnia munda esse: & ex hac fide omnibus creaturis legitimè & cum gratiarū actione ad gloriam Dei, ac tum suam ipsorum, tum proximorum salutem & commodum vtuntur. Quorum enim perso[n]æ per fidem propter Christum Deo placent, eos rum opera omnia ex fide profecta Deo probantur, quantumuis in speciem vilia, sordida & abiecta, siue edant, siue bibant, siue ieument, siue vigilent, siue dormiant. Quemadmodum ex aduerso, quicquid nō est ex fide, peccatum est: & pollutis ac infidelibus nihil est purum: sed pollutæ sunt eorum mens atq; conscientia, quibus etiam non solùm ieunia, verùm etiam orationes in peccatum vertuntur.

Deinde ambiguū est quod aiunt, bonorum ciborum malum esse usum, si quis contra præceptum datum illis vtatur. Nam si hoc de diuino præcepto intelligunt, recte dicunt. Sin de humano præcepto, impium est, & in libertatem, in quam nos Christus asseruit,

afferuit, contumeliosum. Nam quæ Deus purifica-^{Act. 15}
uit, ea nemo hominum communia debet dicere. Et
à Paulo grauiissimè prohibetur: Ne quis nos iudicet ^{Col. 2}
in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut Nouilu-
nij, aut Sabbathorum, quæ sunt vmbra rerum futu-
rarum, corpus autem Christi. Et quid multis opus
est: cùm ab initio huius, in quo nunc versamur,
capitis doctrinam dæmoniorum vocet Apostolus,
quæ à cibis, quos Deus creauit, abstinere iubeat.

Cæterū quod Apostoli in concilio Hierosoly-
mitano decreuerunt, vt Christiani abstinerent ab
Idolothytis, & sanguine et suffocato (quod decretum
62. Canone repetitur) id temporarium fuit, & ad
primitiæ Ecclesiæ rationes accōmodatum. Non es-
tim voluerunt Apostoli iugum legis ceruicibus
Christianorum imponere, quod disertè se facturos
aut passuros negant: sed quia periculum erat, ne, si
Gentes coram infirmis Iudæis vescerentur sanguine
aut suffocato, Iudæi ea libertate offensi, aut una ede-
rent ambigente ac repugnante conscientia, aut ad
discordiam prouocarentur: ideo Apostoli ad auer-
tenda scandala & dissensiones in tenera Ecclesia,
Iudæorum infirmitati ad tempus aliquid concesse-
runt. Ideoq; non fuit nouum præceptum humana
authoritate traditum, sed vetus officium charitatis
veteri lege mandatum. Iam vt conditions fratribus
imitantur, ita etiam officia charitatis mutantur: ali-
ter enim seruendum est fratri infimo, aliter firmo.
Proinde hoc decretum de vitando esu sanguinis &
suffocati non fuit perpetuum, sed vna cum fratribus
imbecillitate desit.

IESVITÆ.

*Sanctificatur enim per verbum Dei
& orationem.*

III. *Hec tanquam per concessionem dicta, Chrysostomus (cui
In hunc locum assentient Theophylactus & Oecumenius) intelligit: Duo (in-
1. Cor. 10. quit) capita ponit, vnum quidem, quod creatura nulla com-
munis sit: Alterum, quod et si communis sit, medicamentum in
promptu est. Signum illi crucis imprimere, gratias age, Deo
gloriam refer, & protinus immundicia omnis abcessit. Num
Gen. 3. Num. 5. verò (inquieres) & quod Idolis immolatum fuerit, eadem possu-
§. 19. Matth. 14. mus ratione mundare? Licet, siquidem nescias Idolothrytum ef-
Luc. 9. 10. 11. Mar. vlt. se, siν vero sciens & prudens illud percipias, immundus iam
Clem. epi. 2. ad eris, non ideo quia Idolothrytum est, sed quod, cum tibi
Iacob. & 3. Re imperatum sit, non communicare dæmonijs, per id communicas
cog. Dionys. Eccle. Hierarch. se conuinceris. Itaq; neq; illud natura huiusmodi est, verum ex
c. 2. Cœlest. epi. sententia tua atq; inobedientia immundum efficitur. Hec ille,
ad Maurin. & Leont. Orig. que eadem nouis hereticis responderi possunt: vel dicere cum
hom. 5. super alijs possumus, cibos omnes, si naturam eorum speles, bonos
Num. Aug. lib. esse, si vero vsum, non inquam illis polluimur, idq; vicio nostro
10. de ciuit. Dei & dæmonis arte, qui post peccatum, lèdendi per creaturas ho-
ca. 22. Alex. Pöt. Mart. de consec. mines potestatem accepit. Ut igitur Deo largitori grati simus,
d. 3. c. aqua. Da ut quantum ratio postulat cibus ut amur, ut ex illis dæmoni-
mal. in Pontifi-aca potestas abigatur, sancte atq; pie iam ab antiquissimis tépo-
cali vbi huius ribus maiores nostri non sine exemplis in veroq; testamento dxi
Alexand. & Eu- pressis, benedictionibus & exorcismis, in quibus diuina verba
tychiani vitas continentur, non solum dum Sacramēta quedā administrantur.
describit. Greg. ad Aug. Epil. sed etiam in cibis, in aqua, & alijs quibusdam rebus, vñi sunt.
Anglorum teste Beda in vita eiusdem Augustini. Seuer. Sulp. in vita S. Martini.*

Responsio.

RESPONSI.

Priorem huius Assertionis partem , quam ex Chrysostomi sententia & interpretatione posuerunt Iesuitæ , non reijcimus , nisi quòd illud de signo Crucis cibis imprimendo est superstitionis. Quanquam si quis hanc pædagogiam citra superstitionem usurpet, ut frontem & pectus & cibos signo crucis signet , vt sese ipse de cruce Christi , qua sanctificati , & à Diabolica potestate liberati sumus , commonefaciat , equidem non vehementer reluctabor; modo huic manibus efformato signo crucis nulla occulta vis , aut operi operato huius delineationis , nulla virtutis efficacia , nulla meriti dignitas adscribatur : à qua superstitione Chrysostomum immunem fuisse arbitror. Quod enim non crediderit Dæmoniacam potestatem esse in creaturis , quæ exorcismis expugnāda & expurganda sit , docent eiusdem Verba hæc: Non (inquit) quia immundum est , à Deo sanctificatum: absit: Verum hoc in loco illos alloquitur , qui communia quædam ex ipsis esse arbitrantur. Et post dictum illud à Iesuitis recitatum subiungit: Sola quippe voluntas erit immunda , quæ gratias non exhibet Deo. Atqui Iesuitas signo crucis & alijs egenis clementis arcanam & magicam vim tribuere , ex posteriori huius assertionis parte cognoscitur. Putat enim cibos Dæmoniacata potestate obsessos , signo crucis , benedictionibus & exorcismis ita purgari , vt ex illis electa , profligataq; Diabolorum legio exulare , & in Orcū præceps ferri co-

T iij gatur.

gatur. Nec id in cibis duntaxat , sed in aquis etiam
& alijs quibusdam rebus, puta herbis, sale, cera, cam-
panis , & quæ sunt eius generis reliqua , obseruari
debere.

Quæso autem te amicissime mi Lector, quid im-
pietas est, quid magia est, si hæc non est? Primum eo-
nim cum exorcizandas esse iudicant creaturas , pes-
rinde ac si essent à Diabolo obfessæ & inquinatæ,
plurimum accedunt ad hæresin Manichæorum. Hi
enim senserunt creaturas à natura mali ita infectas,
ut necesse habeant eas purgare: vnde & catharistæ,
idest, purgatores appellantur. Cum igitur Iesuitæ su-
scipient bonas Dei creaturas , quas Deus creatione
& verbo suo sanctificauit , & quarum sanctificatio-
sua cuique precatione applicatur , exorcismis &
alijs ritibus suis à Diabolo purgandas, profecto non
videmus , quid hac in parte à Maniacis Manicheis
& ~~ixabaptis~~ Catharistis differant . Deinde cum susci-
piant creaturas certis verbis, crucibus, exorcismis,
preculis consecrandas ad eum usum , quem nec ex
naturali creatione, nec ex diuina ordinatione, aut
certa verbi Dei institutione habent: nonne supersti-
tiosam & magicam incantationem profitentur: tan-
to illis circumforaneis incantatoribus deteriores,
qnanto pestilentiore superstitione hominum ani-
mos imbunt , & non tantum temporalibus bonis,
sed coelestibus quoque ac æternis male credulum
vulgus spoliant . Hic nobis rursus fictitiij Clemens-
tis suppositicias epistolas obtrudunt, vt malam cau-
sam malo fundamento suffulciant. Verum is quidem
Epistola 3. ad Iacobum fratrem Domini dicit , eos
qui

qui fidem habent, posse etiam aliorum passiones curare, & in exemplum proponit Apostolos, qui misericordiis claruerunt: & addit, infidelitatem facere hominem obnoxium passionibus, quia licentiam peccandi praebat: non peccantes vero, non solum liberos esse à Dæmonibus & passionibus, verum etiam aliorū Dæmones ac passiones fugare posse. Nullius autem exorcismi, nullius superstitionis, quoconque nomine censeatur, mentionē facit vel unico verbo.

Dionysium falso cognominatum Areopagitam. Cœlestinum, Alexandrum, Damasum, Gregorium Magnum, Pontifices Romanos, ac similes Ceremoniarum Magistros libenter Iesuitis donamus: cum religionem suam Pontificiam, partim ex abrogatis Ceremonijs legis Mosaicæ, partim ex ritibus gentium, partim è Sacramentis quidem noui Testamenti, sed hypocritica impietate depravatis, instar vassieгati Centonis consarcinauerint. Valeant cum suis istis Cétonibus, & his se oblectet, quemadmodum porci mendicorum saccis gestiunt & gesticulantur. Augustinus lib. 10. de Ciuit. Dei, postquam 21. capitulo docuit, Heroas Christianos (per quos Martyres intelligit, vti se ipse declarat) non vincere Dæmones placido eos, sed contra eos certando, mox dicit initio capituli 22. Vera pietate homines Dei aëream potestatem inimicam contrariamq; pietati exorcizando ejiciunt, non placando, omnes tentationes aduersitatesq; eius vincunt, orando non ipsam, sed sumum Deum aduersus ipsam. Non enim aliquem vincit aut subiugat, nisi societate peccati. In eius ergo nomine vincitur, qui hominem assumpsit, egitq;
fine

Sine peccato, ut in ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum: id est, per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Hactenus ille. Hic nihil audis de signo crucis, nihil de magicis benedictionibus aut exorcismis: nulla fit mentio ullius cibi: solo verbo exorcizandi vtitur, quod postea declarat per verba: In eius nomine vincitur. Sic Apostoli in nomine Christi dæmonia expellerunt, sine tamen magicis exorcismis. Notandum etiam est, quod Augustinus non de quibusuis Christianis, multo minus de Papisticis Sacrificulis, qui Christiani non sunt, sed de Martyribus loquitur, quos vocaret Heroas Ecclesie, si usus Ecclesiasticus ferret.

In legenda S. Martini, ex Seuero Sulpicio sic narratur. Cum Martinus in suæ Diæceseos villam quædam venisset, & Clerici lectum ipsi plurimo stramine preparassent, ille ibidem requiescens, insuetamq; molliciem perhorrescens, quippe chamæunijs assutus, surgit, stramentum omne proiecit, & se super nudam humum collocat. Circa medianam vero noctem tota illa palea igne accenditur, & Martinus excitatus dum exire tentaret, sed nequiret, ab igne capitur, & iam eius vestimenta vruntur. Rediens vero ad solitum Orationis confugium & crucis signaculum, in medio ignis intactus permanxit: & flamas sensit rorantes, quas male expertus fuerat vrentes. Monachi igitur excitati concurrunt, & Martinum, quem iam consumptum putabant, de medio flammrum illæsum adducunt. Hanc siue fabulam siue historiam

storiam Iesuitæ ad marginem annotarunt. Quid igitur dicemus? Ergo crucis signaculo non aqua tantum benedicitur, & cibi consecrantur, sed ardor etiam flamarum extinguitur. Et hinc fortassis signum crucis in fastigij aedium figi solet, ne incendio conflagrent scilicet. Ego vero arbitror fabulam esse, ad confirmandam superstitionem à Monachis excogitatam. Sin vera historia est, hanc liberatem Martini ex incendio, non signaculo crucis, sed fidelis orationi, cuius prior sit mentio, tribuerim: & agnosco miraculo confirmatam esse dulcissimam promissionem Dei: Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israël salvator tuus.

Sed ne Iesuitæ videantur humanis tantum testimonijs & Legendarum fabulis nitiri, allegat ex Moysi locos, de aqua aspersionis, qua Leuiticæ immunitatiæ purgabantur. Talem aquam pro illius temporis ratione diuinitus institutam fuisse, iamdudum absq; Iesuitarum magisterio nouimus. Sed quod consecretur in novo Testamento aqua, quam vocant benedictam, cuius aspersione deleantur peccata venialia, & abigantur dæmonum spectra & ludibria, non est Verbo Domini mandata Cæremonia, sed humano arbitrio visitata Leuiticæ aspersionis ^{aspe}nsio. Pertinet igitur ad hoc dictum Christi: Frustra colunt me doctrinis hominum. Et indubitatum est apud Christianos, quod sanguis Iesu Christi per verbum Euāgelij, per Baptismum & Cœnam Domini cam nobis aspersus, ac per fidem corde exceptus, e

V mundet

mundet nos ab omnibus peccatis. Quod igitur est solius sanguinis Christi , divino sacræ Triadis consilio & decreto pro peccatis nostris effusus , hoc non debet tribui aquæ humanis placidis consecratæ.

Iā & ex novo Testamento in mediū producūt locos , qui de Dēmonijs per Christū vel Apostolos eis̄ etis testātur , sic em̄ colligunt : Si Christus Apostolis contulit virtutem in nomine suo ejsciendi dēmones , multo magis contulit sacrificulis , qui maiori pompa consecrantur & ordinantur , quām Piscatores & Textores Apostoli . Nos autem breuiter respondemus : Personale fuisse donū , Apostolis & quibusdam alijs collatum , ad confirmandam authoritatem doctrinę Euangelij : quod ut personas eorū , quibus singulari consilio Dei donatum est , non egreditur , ita ab alijs in exemplum minimè est trahendum . Fiant igitur Sacrificuli prius Apostoli Domini nostri Iesu Christi , quām diabolum suis exorcismis contentur expellere , ne idem illis accidat , quod Ephesi Act.19. Iudæis exorcistis , septem filijs Sceux Principis Saerdotum accidisse legimus .

I E S V I T A E.

Qui est saluator omnium , maximè vero fidelium .

V. Redit Chrysostomus & Theophylactus , à quibus nec diffen-
Ambros. in hūc tie Ambrosius , verba hæc interpretantur : Deum scilicet ,
locū Chrysost. quantum ad se pertinet , saluatorem esse omnium , ac velle (yc
Theophylact. in cundem. idem dixit Apostolus) omnes homines saluos fieri , libertate
tameu

tamen voluntatis cuiusq; seruata : re ipsa verò eos saluos esse,
qui ipsi vocanti & opem ferenti, obediente & cooperando, di-
gnos se præstiterint salute.

RESPONSIO.

Eorum sententiam, qui Deum, quantum ad se
pertinet, saluatorem esse omnium statuit, vtras
que manu amplectimur, est enim toti scripturæ
analogæ. Perditio (inquit) tua est Israël, tantummo-
do in me auxilium tuum. Quomodo etiā Deus, tum
omnium hominum, tum verò singulariter fidelium
saluator sit, suprà capite 2. exposuimus. Concedimus
& hoc, suam cuiq; liberam voluntatem à Deo relin-
qui, si quidem libertas opponatur coactioni, non ser-
uituti. Neq; enim violēta coactione malum agimus,
sed spontanea seruitute, quam nascendo contraxi-
mus. Bonum autem non nisi ex libertate sp̄ritus os-
peramur, cum scilicet à Dei filio liberati per fidem
sp̄iritu sancto donamur & regimur. Verū nos vo-
canti & opem ferenti Deo, obediendo & ope-
rando, dignos nos præstare salute, id verò non
tantum semipapistarum ὡμογένεων delyrium, ve-
rim etiam ὀντας Pelagianorum impiissima blas-
phemia est, quia omnes Sophistarum tenebræ de-
merito congrui & condigni, in meridianam lu-
cem Euangeli totis plaustris inuehuntur. Verū
mihi quidem hanc Camarinam nunc mouere non
libet, non enim paucis pagellis absolvi potest con-
trouersia: sed studiosum Lectorē ablego ad librum
Prosperi Aquitanici, aduersus Colluctatorem,

Osee 13.

V ii de libe-

de libero Arbitrio: ad Assertionem Lutheri de Seruo Arbitrio contra Diatriben Erasmi: & ad recentiora scripta synceriorum Theologorum, aduersus Semipelagianos, Synergistas. Quibus enim illa scripta, ex sacrarum literarum solidis fundamentis extructa, nō sufficiunt, eos tanquam ~~aberrantes~~ suo ipsorum sensui & damnationi relinquimus. Nostra sic est breuiter sententia: Hominem animalem, vi naturalis sui arbitrij nihil ad conuersionem aut salutem sui, verè & spiritualiter operari aut cooperari posse, ut qui natura sit filius iræ, & in peccatis mortuus. Hominem verò renatum, quatenus renatus est, non veteri voluntate aut ~~per~~ carnis, quæ etiam in renatis spiritui semper reluctatur, sed noua & per spiritum sanctum creata bona voluntate, quæ non substantia sed actione noua sit, ducenti & gubernanti spiritui sancto obsequi, in quo tamen ipso ductu ac regimine voluntas hominis magis patiendo quam agendo, spiritui sancto se formandam præbeat, ita ut & cogitare, & velle, & incipere, & proscriqui & perficere bonum non humani sit arbitrij, sed solius gratiæ Dei, qui in homine tanquam subiecto, ad participatum diuinæ iustitiae ac salutis condito, clementer & potenter opera bonitatis & misericordiæ sua exerceat, ut glorificetur Pater per filium in Spiritu sancto, Amen.

I E S V I T Æ.

Noli negligere gratiam quæ in te est,
quæ

quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij

X^{ps}iru^s, hoc loco potestatem episcopalem significat simul & VI.
 gratiam, quæ ad eius utilem usum est necessaria: prophetia
 verò electionem denotat, Spiritus sancti factam impulsu: Pres-
 byterij verò nomine (sic enim legēdū esse, non tantum Gre-
 ci codices, sed & Ambrosius & vetusta exemplaria latina indi-
 cant) vel intelligitur chorus Episcorum, à quibus Timo-
 theus fuerat consecratus, ut Chrysostomus cum Græcis cœte-
 ris interpretatur: aut ipsa dignitas Episcopi, ut Ambrosius & hunc locum.
 Anselmus, significarunt. Hinc & ex alijs Apostoli verbis pri-
 mū discimus gratiam & dona nobis ideo tribui, ut opere-
 mur, deinde illos tantum constitudos Episcopos, qui ad id Heb. 5.
 munus tanquam Aaron Diuinitus elec^tfuerint, tertio, inter
 Episcopum, qui hoc loco Presbyter dicitur, ac reliquos Pres-
 byteros aliquid esse discriminis, quartò, Presbyteri nomine di-
 gnitatem & potestatem potius quam a^tatem, hoc loco, desi-
 gnari.

RESPONSI^O.

NE occasiones reprehendēdi arripere magis vi-
 deamur, quām accipere, nihil in hac Assertione
 ne damnabimus: cūm siue Presbyterij nomine Col-
 legium Presbyterorum, siue dignitas Presbyterij si-
 gnificetur, nostra & religionis nostræ non multum
 intersit. Hoc tamen Lectorē monere volumus, Ies-
 suitas ipsos sub finem huius Assertionis Episcopi &
 V iij Presbyteri

Presbyteri nomina confundere. Inter Episcopum (inquit) qui hoc loco Presbyter dicitur, &c. Cur ergo ipsis ^{suprà} cap. 3. Positione 1. de his nominibus tantopere digladiari libuit? Sed aiunt tamen, inter Episcopum ac reliquos Presbyteros aliquid esse discriminis, & Presbyteri nomine dignitatem potestatē potius quam ætatem designari. Vt trunque negat Hieronymus, tum in Epistola ad Oceanum, tum in Commentarijs Epistolæ ad Titum. Itaque cum Hieronymo committemus Iesuitas, ut cum illo dicimicent quantum velint: nobis enim hanc litem dirimendi potestas à Papa nondum delegata est. Quomodo vero è scripturis, & præsertim Paulinis Epistolis dirimi possit, suprà à nobis est ostensum.

Tit. 1. Nam vbi iubetur Titus cōstituere oppidatim Pres-
Phil. 1. byteros, continuo subiicitur: Oportet enim Episco-
Act. 20. pum esse inculpabilem. Et alibi Paulus plures in
 una Philippensem Ecclesiam salutat Episcopos; & in
 Actis refertur, conuocasse Presbyteros Ephesios,
 quos ipse Episcopos sua Oratione nominat. Vnde
 manifestum fit, Episcopos, Presbyteros, Pastores,
 Ministros, promiscue in sacris literis vocari, qui
 ministerio verbi Ecclesias regunt,

I E S V I T A E.

*Hoc enim faciens, & te ipsum saluum
 facies, & eos qui te audiunt.*

VII. *Si Episcopus recte fungens suo munere, salvator est alio-
 rum,*

rum , quid ni & beatissima illa virgo , Christi Dei hominisq
mater , spes nostra dicatur , que & salutatrix appellari posset;

R E S P O N S I O .

Nihil est in hisce omnibus Iesuitarum Assertio-
nibus ~~etiam si ex parte~~ quām hoc ipsum. Itaque credibile
est, istos ~~etiam si ex parte~~ mī, cūm in summulis Petri His-
pani, & expositionib[us] Tartareti & versoris studi-
um ponerent, de ponte Alinorum præcipites fuisse
deturbatos: quo casu grauiter afflictum affectumq
occiput, in cerebro vim omnem ~~etiam si ex parte~~ eliserit at-
que conturbarit. Quid enim tibi de hoc arguento
videtur? Minister Ecclesiæ per ministerium Euangeliū,
quod est verbum salutis, & potentia Dei ad sa-
lutem omni credēti, est saluator auditorū. Ergo etiā
sancta Maria mater Dei & hominis est spes & salua-
trix nostra. Paulus enim cūm inquit: Hoc si feceris,
respicit ad præcedentia , quibus iussit Timotheum
attendere lectioni, exhortationi , doctrinæ, suscita-
re quod in se est, donum , in his se exercere & profi-
cere, intendere sibi ipsi & doctrinæ, & in his persis-
tere, hoc est, ut summātū dicam, iussit eum omnes
partes fidelis ministri Ecclesiæ diligenter exequi:
id si faciat, seipsum esse seruaturum & illos qui ipsi
obedierint. Nam doctrina Euangeliū si incorrupta
sit, & diligenter doceatur, tum docentem tum audi-
entem , si fide eam amplectantur & in ea persistant,
saluat: adfert enim Christum , & in Christo thesa-
rum omnium cœlestium honorum , remissionem
peccatorum.

peccatorum, iustitiam, pacem conscientiae, laetitiam spiritualem, & denique salutem æternam. Saluatoris igitur dicuntur Apostoli, & omnes fideles ac sinceri ministri Euangeli, non à personis suis, sed à ministerio prædicandi Euangeli, quod est ministerium gratiæ & salutis, & efficax organon ad salutem omnibus per hoc in Christum credentibus. Nunquid autem Maria habet ministerium prædicandi Euangeli? nunquid una cum Apostolis emissa est à Christo in totum orbem ad docendum & baptizandum? At Sacrificuli ipsi negant Mariam debuisse aut potuisse Missas celebrare. Consequens ergo est, ministerium verbi Mariæ non fuisse datum, iuxta illud: Mulier in Ecclesia taceat. Quomodo igitur id, quod Timotheo propter ministerium prædicationis Euangeli tribuitur, Mariæ, cui hoc ministerium propter sexum denegatum est, tribuetur? Quanquam si quis consideret piissimum illud Canticum Mariæ, in quo suo modo & pro sua vocatione Euangelion prædicat, non repugnabo, si quis eam dicat per hoc canticum multos homines salutasse: ut ita, si candide & citra calumniam intelligatur, Maria posse dici seruatrix, non sua persona, & propter sua merita, aut propter suā intercessionem, sed per suam doctrinam, quam Spiritus sanctus per os sanctissimæ virginis de immensa gratia & veritate Dei in promittendo & exhibendo Christo sonuit. Est enim Canticum Mariæ, totius doctrinæ propheticæ & Apostolicæ eruditissimum compedium. Sed ut SPES nostra dicatur, quomodo eam in impio illo & insalutari Salve Regina, salutant, horret animus cogitare,

cogitare, nedum lingua eloqui. Spem enim nostram dicere non possumus, nisi simul etiam Deum nostrum dicamus. Psal. 7. D O M I N E spes mea es T U. Non: Domina, spes mea es tu, ut Marani in Mari- li suo blasphemant.

*Epiphanius lib.3. Tom.2. Hæref.78. Contra
Anidicomarianitas.*

Non conuenit colere sanctos vltra decorum, sed honorare ipsorum Dominū. Cesset itaq; error seductorū. Neq; enim Deus est Maria, neq; de cœlo corpus habet, sed ex conceptione viri & mulieris.

Idem contra Collyridianos. Hæref.79.

Reuera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Reuera virgo erat ipsa virgo & honorata, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa carne genitus est, de cœlis verò ex sinibus paternis accessit. Et propterea Euangelion munit nos dicēs, quod ipse Dominus dixerit: Quid mihi & tibi curæ est mulier; nondū venit hora mea, quod non putarēt aliqui, magis eximiam esse sanctam virginem, mulierem eam appellauit, velut prophētans, quæ futura essent in terra, Sectarum ac Hæres feon gratia, ut ne aliqui nimium admirati sanctam, in hæresin dilabantur.

I E S V I T Æ.

E X C A P . V .

*Si quis autem suorum, & maximè do-
mesticorum, &c.*

X Quamvis

I. Quamvis hæc de viduis accipi possint (nam illud est & non
 verti etiam potest, si qua) ad omnes tamen pertinere mani-
 festum est: Dicitur autem, qui suorum, & præsertim domesti-
 corum negligit curam, negare fidem, non quidem mente aut
 lingua, sed factis, dum contraria facit his, quæ fides docet &
 præcipit. Infideli vero dicitur deterior: Si enim idem infidelis
 admitteret, qui tantum naturæ legibus tenetur, leuius pecca-
 ret quam Christianus, qui etiam fidei legem violat. Collige
 binc, Christiane Lector, secundum Pauli sententiam, Euange-
 lica lege opera charitatis esse præcepta, atque in charitate suos
 reperiri gradus.

RESPONSIO.

Quod in fine huius Assertionis dicitur, Euangeli-
 ca lege opera charitatis esse præcepta, id
 quale sit, supra in primi capitulis secunda positione o-
 stendimus. Nunc hoc tantum lesuitas rogamus, ut
 considerent, quid sit illud: Lex per Mosen data est,
 Joan. 11. Gratia & veritas per Iesum Christum exorta est. A
 lioqui nihil in hac Thesi desideramus.

IESUITÆ.

Vidua eligatur non minus sexaginta
 annorum, quæ fuerit unius viri uxor.

II. Ex verbis Apostoli, simul & his, quæ in antiquarum Sy-
 Vide Decret. nodorum decretis, & Patrum libris legitimus, constat, olim in
 Eusebiani Pto. Ecclesiæ

Ecclesia habitum fuisse delectum viduarum, atq; habita ratio- & Marty. Tera
ne paupertatis, aetatis, & honorum morum, quasdam earum tul. lib. i. ad ve
conscriptas in catalogum esse, ut Ecclesie sumptibus alerentur. Polycarp.
functionem aliquam suo sexui accommodatam haberent, Epistola ad Phi
atq; orationibus atq; obsecrationibus vacarent. Ab his mani
festum est (ex iisdem testibus) legem perpetui coelibatus & lippen. Concil.
benedictionem & sacrum velamen, ut etiam à virginibus Deo Chalced. c. 15. E.
sacrificis fuisse suscepimus. Ex verbis vero illis: quæ fuerit paumentse. c. 21.
vnius viri vxor, facile possent noui Euangelici, nisi occu Arausica. c. 26.
los clauderent, intelligere quo sensu accipiendum sit, quod an 27. Caithag. 4. c.
tea dixit Apostolus, Episcopum vnius uxoris virum esse Gelas. Decr. 15.
debet. 101. 102. 103. 104. 23. Chrysoft. hic
cels. lib. 8. c. 26. Epiph. Vbi compendiariā doctrinā tradit Ecclesiæ Catholicæ.
& lib. 3. de Sa
cerd. Ambros.
lib. de Viduis.
Niceph. hist. Ec

RESPONSE.

VIduas olim spectatae pudicitiae & senio confe
fectas, & propter aetatem prouectam ad coniugium
& victimi manibus querendum inhabiles, publicis
sumptibus sustentatas fuisse, & has vicissim suam os
peram pauperibus & ægrotis impendisse, quoad pa
tiebatur valetudo, extra controversiam est. Quod aut
ab his lex perpetui coelibatus, benedictio & sacrum
velamen suscepta fuerint, ex sacris literis probari no
potest. Nam quod ad perpetuum coelibatum vel vis
duitatem attinet, nulla lege cogebatur: sed ipsæmet
spontè ac libera voluntate nuptias non iterabant
tum quia per etatem ad coniugium non erant idoneæ,
erant enim ut minimum sexaginta annos natæ, tum
ne essent ingrate in Ecclesiam, cuius sumptibus ideo
alebant, ut vicissim operas suas illi locarent, & pau

X ï perum

perum necessitati diligenter seruirent, id quod à coniugatis minus poterat fieri, quam à cœlibibus. Quod autem necesse erat, vnius viri uxores, vel (ut Tertullianus loqui solet) vniuiras fuisse, id eo fiesbat, ne esset de ijs suspicio intemperantiae vel incontinentiæ, cuius notari potuissent, si sepius nuplissent, præsertim prouectiori ætate (iuniores enim Paulus vult nubere.) Laudi em̄ dabatur, nō solūm in primæ uia Ecclesia, sed & apud Gentiles, si nuptijs secundis casta abstinuisset mulier, præsertim senior, Vnde Tertullianus scribit: Viduitatē operosiorē esse virginitate, quia facile est, inquit, non appetere quod nescias, & auersari quod desideraueris nunquā. Gloriosior continentia, quæ ius suū sentit, quæ quid viserit, nouit. Poterit virgo fœlicior haberi, at vidua laboriosior. Illa, quod bonū semper habuit: ista quod bonū sibi inuenit. Hæc Tertullianus. Et sane quodam veluti pignus continentiae & pudoris est, cum mulier ad sexagesimum vscq; annum peruenit, vnicō marito contenta, quales h̄c eligi vult Paulus. Itaq; Lyra breuiter quidem, vt solet, sed bene ad hunc locum annotauit: Quæ fuerit vnius viri vxor: Nam secundæ nuptiæ videntur signū incontinentiæ, sunt tamen licitæ. Et Thomas Aquinas, reiſciens h̄c glossam ordinariam, quæ propter Sacramenti mysteriū dicit vniuiram eligendam esse, hanc rationem adfert: Hoc dicit propter firmitatem, vt scilicet habent continuum propositum seruandæ viduitatis. Sed Hieronymus in Epistola ad Geruntiam aliam rationem assignat, scilicet, quod apud Gentiles mos erat, in sacris Deorum nullam præesse,

Tertul. ad uxo-
rem lib. 1.

quæ

quæ haheret duos viros : & ideo Apostolū voluisse, vt quæ alimentis Ecclesiæ nutriebantur, non minus essent castæ. Sed quorsum opus erat rationem discipulnæ Christianæ ab Ethniciis petere ? Hæc nobis vna sufficiat : vt vetulam multos maritos habuisse signum est alicuius incontinentiæ , sic vnius viri vxorem fuisse, laudabile signum est probatæ castitatis.

Porro parùm Dialectica est ~~ad ipsius opus~~ seu conuersio, quam ad finem huius Positionis Iesuitæ attexunt. Hoc loco (inquiunt) vnius viri vxor intelligitur ea, quæ semel tantum nupserit : Ergo è conuerso suprà capite tertio, Episcopus vnius vxoris vir, intelligendus est , qui semel tantum duxerit: non is, qui simul vno eodemq; tempore vnam habeat vxorem , licet diuersis temporibus plures habeat. Respondeo breuiter : Magna est utrobique dissimilitudo. Nam vxor non potest esse simul multorum virorū vxor, sed meretrix: fornicari per multos potest , foetari non potest . Itaque necesse est , vt h̄c per vniuiram intelligatur, non quæ simul vnum tantum habuerit virum: sed quæ per totam vitam vnas tantum sit experita nuptias. Suprà autē nihil impedit quo minus sic intelligatur , quemadmodum nos exponimus. Potuit enim in veteri Testamento vir vnuis simul multarum vxorum vir & maritus esse: imo non potuit tantum hoc fieri , sed fuit etiam vstatissimum vt fieret . Ac propè frequentior fuit Polygamia, quam vna vxore contentū coniugium: quemadmo- dum Augustinus libro 1. de bono coniugali cap. 17. testatur. Itaq; vt Hieronymi verbis vtar, cum sciret

X ij Paulus

Hieronymus ad Paulus lege concessum, & exemplo Patriarcharum Oceanum, familiare populo nouerat, in multis vxoribus liberos spargere, ipsis quoque sacerdotibus huius licentia patere arbitrium, præcepit, ne eandem licentia Ecclesia sibi vendicent Sacerdotes: ne bina pariter & trina sortiantur cōiugia, sed ut singulas vno tempore vxores habeant. Expostulent igitur Iesuitæ nō nobiscum, sed cum Hieronymo, quare duos locos Pauli, alterum de Episcopo vnius vxoris viro, alterum de vidua vnius viri vxore, non vno eodemq; modo exposuerit: imo, si libet, litigent cū Deo ipso, cur olim viris plures simul habere vxores nō autem mulieribus plures habere viros permiserit.

Iam marginales allegationes Iesuitarū excutimus. Primus in acie collocatur Eutychianus, quippe Episcopus, & Episcopus Romanus, hoc est Pontifex Maximus, & Martyr. Quem, quo Consilio allegent, equidem nescio, cum Iesuitici veli stultitiam reuelet & confutet. Nam Decretum eius secundum ita habet: Nihilominus etiam in quibusdam locis inolitum inuenimus usum stultitiae plenum, & Ecclesiastice authoritati contrarium, eo, quod yidelis et nonnullæ Abbatissæ, & aliquæ ex sanctimonialibus, viduis & puellis virginibus contra fas, velum imponere præsumant, & ideo nonnullæ iniuste velatae, putat se liberius suis carnalibus desiderijs posse seruire, & suas voluntates explere. Quapropter statuimus, ut si Abbatissa aut quelibet Sanctimonialis post hanc dissinitionem in tantam audaciā prorupit, vt viduā aut puellam virginem velare præsumat, iudicio Canonico usq; ad satisfactionē subdat.

Tertula

Tertullianus lib. i ad vxorem scribit quidem, è viduis nullam assumptam esse , nisi quæ vnum tantum habuisset virum , sed de velo aut benedictionibus altum silentium.

Polycarpus Epistola ad Philippenses de viduis scribit in hūc modū: Viduae verò pudicæ circa fidē Dei interpellent incessanter pro omnibus, elogantes se ab omnibus Diabolicis detractionibus & falso testimonio, & ab omni malo, cognoscentes se ipsas, quia sunt sacrariū Dei, quoniā omnia Deus prospicit, & nihil eū latet, neq; cogitatio, neq; conscientia, neq; aliquid abditū cordis. Scientes autē quia Deus nō irridetur, debemus dignè in mandatis eius & gloria ambulare, &c. Hic nihil audis neq; de voto, neq; de velo.

Concilium Chalcedonense ca. 15. Si quæ virgo se dedicauerit Deo , similiter Monachus, non licet eis nuptijs iungi. Si vero inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus verò P O S S E E I S F I E R I H U M A N I T A T E M , si ita probauerit Episcopus loci. Nihil hic de viduis , sed de virginibus & Monachis. Quid autem hæc ad Rhombum?

Epaumense Concilium ca. 21, víduarum consecrationem, quas Diaconissas vocant , ab omni religione nostra penitus abrogamus, solam eis pœnitentiæ benedictionem , si conuerti ambiunt , imponendo. Hic ad eruendum verum sensum Delio natatore opus esset. Neq; enim pro lesuitis, neq; pro nobis ista multum faciunt. Quātum enim lesuiticarum víduarum benedictioni suffragantur , tantum religiosæ eorum consecrationi derogant.

Araulicanum Cōcilium ca. 26, Diaconisse omnis mode

modè non ordinandæ. Si quæ iam sunt, benedictio-
ni, quæ populo impenditur, capita submittant.

Idem ca. 27. viduitatis seruandæ professionem,
coram Episcopo in sacrario habitâ, imposita à Pres-
bytero veste viduali, non esse violandam. Eius verò
repudiatorem, vel ipsam talis professionis desertri-
cem meritò esse damnandam. En tibi vnius Concilij
duos Canones: quorum prior Iesuitarum opinioni
magis aduersatur quam patrocinatur, posterior au-
tem cum Epaunensis Concilij Canone 21. non bene
conuenit. Illud enim viduis benedictionem tantum
imponit, non vestem vidualem, aut seruandæ vidui-
tatis professionem. Usque adeò in istis Concilijs
omnia sunt incerta, obscura, flexiloqua.

Carthaginense quartum Concilium Canonibus
101. 102. 103. nihil statuit contra nos, sed 104. Canon
præscribit viduis certum vestitum, & vrget obser-
uationem superstitioni voti: quod nisi seruent, adul-
teris peiores esse pronunciat. Hic autem Canon tan-
to magis est tyrannicus, quod anathema dicit, non
tantum sexagenarijs viduis nubentibus, sed etiam
iunioribus. Verba eius hæc sunt: Si quæ viduae, quā-
tumlibet adhuc in minoribus annis politæ, & matu-
ra ætate, à viro relictæ, se deuouerunt Domino, &
veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi & Ec-
clesiæ religioso habitu apparuerint, postea verò ad
nuptias seculares transferunt, secundum Apostolū,
damnationem habebunt, &c. Etsi autem cum cætes-
ris Episcopis etiam Augustinus Hippoensis Epis-
copus huic Concilio subscripsisse dicitur, tamen fa-
cilitati eius hoc tribuerim nolentis odiosè conten-
dere

dere, de qualibus viduis Paulus h̄c loquatur: aut non satis perpendit illud quod mox sequitur: Juniores viduas volo nubere: aut fortassis, quod s̄aepē in Conciliis factum est, maior pars indoctiorum Episcoporum meliorem partem doctiorum vicit.

Gelasius PP. i. in Decretis suis 15. & 23. disertē negotiat velandas esse viduas, his verbis, Decreto 15. Vis duas autem velare. Pontificum nullus attētet, quod nec authoritas diuina delegat, nec Canonum forma præstituit. Non est ergo penitus usurpandum eis, quia sic Ecclesiastica sunt cōferenda præsidia, ut nihil cōmittatur illicitum. Et Decreto. 23. Nam de viduis sub nulla benedictione velandis, superius latè sufficienterq; prædiximus. Hæc duo Decreta quos modo Iesuitæ ad suam sententiam stabiliendam vellint aut possint detorquere, ipsi viderint. Mihi em̄ suo se iugulare gladio videntur.

Chrysoſtomus in hunc locum. Inspice (inquit) diligenter, vt non secundis abstinere nuptijs viduam sufficiat, sed alijs quoq; plurimis illi opus sit. Cur enim (quæſo) secundo matrimonium non quæſiuit? An quod repræhēſibile existimaret? Absit: Id quippe hereticorum est, sed vt se iam spiritualibus deuotueret rebus, & virtuti instaret attentius. Necq; enim immundæ sint nuptiæ, sed occupationibus patient. Ingentis enim planè occupationis occasio matrimonium est. Si igitur idèo non inibis, vt timori Dei vaces, & vacare detrahis, nihil tibi ea res profuit.

Ambrosius in libro de viduis. Docemur (ait) itaque triplicem castitatis esse virtutem, unam coniu-

Y galem,

galem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis. Non enim aliam sic prædicamus, ut excludamus alias. Suis quibusq; professionibus ista conducunt. In hoc Ecclesiæ opulens disciplina, quod quos præferat habet, quos reijciat, non habet, atq; utinam habere nunquam possit. Ita igitur virginitatē prædicamus, ut viduas non reijciamus, ita viduas honoramus, ut suus honor cōiugio reserueretur. Non nostra hoc præcepta, sed diuina testimonia docent.

Et paulò ante. Utiq; illa præclarior, quæ calorem adolescentiæ & iunioris feruescentem edomat ætatis ardorem, nec mariti gratiam, nec vberiora libesrorum oblectamenta desiderans, quam quæ effeta iam corpore, frigida senectute, matura æui, nec caleare voluptatibus potest, nec sperare de partu. Neque vero si qua in secundas nuptias inciderit, quas utiq; Apostolica præcepta non damnant, quasi fructus doris amissio, si rursus soluta fuerit viro, ab effectu viduitatis arcetur. Habebit illa quidem vel serè meritum castitatis. Sed probator erit, quæ alterius non fuerit experta coniugium. In illa enim eminent studiuni castitatis, huic autem senectus aut pudor modum videtur fecisse nubendi.

Nicephorus lib. 8. cap. 26, hoc solum scribit, virginibus viduiscq; sacratis Byzantij sumptus e publico constitutos fuisse.

Epiphanius in compendaria vera doctrina, prædicat virginitatem & viduitatem castam, quæ in Ecclesia obseruetur. De benedictione autem solenni, & velo, & similibus nugis tacet.

Iesuitæ.

IESVITÆ.

*Habentes damnationem, quia pri-
mam fidem irritam fecerunt.*

Nullas hic Apostatae, vel illorum Patroni, quamuis maxi- III.
mè coneneur, offundere tenebras valent. Nam si disertis verbis
in statu damnationis esse pronunciantur viduae, quæ contra vo-
tum vel promissionem castitatis nupturiebant, quid de illis fas
tuendum est, qui in sacrilego contubernio (quod ipsi matri- Concil. Char. 4.
monium appellant) proditafide quam Deo dederunt, & emni ca. 104. Toletan.
regione conculcata, aliquanto tempore viderunt? In hunc mo- 4.c. 55 Hieron.
dum esse verba hæc accipienda, præterquam quod ex Aposto- lib. 1. aduers. 102.
li proposito & verbis euincitur, testantur ex Latinis Patres, ui. & in Ezechias
qui Concilio Carthaginensi quarto, & qui Toletano etiæ quar- elem ca. 44. Ge-
to interfuerunt: testantur Ambrosius, Hieronymus, Gelasius
Pontifex, Augustinus, eiusq; discipulus Primosius, Ansel- laſ. decr. 23. Au-
mus, Beda, Sedulius & Haymo: ex Gracis per Athanasius,
Basilius, Chrysostomus, Epiphanius, Theophylactus, Oecu- gust. de sancta
menius & Theodoreetus, deniq; omnes Catholicæ Patres, qui oc- virginit. c. 23. &
casione aliqua verba hæc exposuerunt. Eant iam hæretici, & de adulter. con-
singularum dictiōnum quantum libuerit varias enumerent ac- iug. lib. 2. ca. 12.
ceptiones: ex horum enim quos retulimus sententia, per r̄. 104, & in Psal. 75. A.
hoc modo promissio vel profissio, vel pactum, vel votum casti- thanas. libr. de
tatis intelligitur, quemadmodum per r̄. 104. condēnatio, ex virginitate. Ba-
quibus consequitur, verbum idem esse quod violare, vel
irritum facere.

RESPONSIO.

Y ñ

Quia

QVia sibi ipsi Iesuitæ in hac thesi permiserunt dicere quod libuit, audiret ex nobis, quæ forsitan ipsis non liberent, si stultis vellemus respondere secundum stultiam eorum. Crepat hæreticos, A. postatas, Apostatarum patronos, sacrilegos contubernales. Sed nō est religionis, non est verecundia, non est pudoris nostri, scommata & maledicta reges rere. Veruntamen ad postremum conuicium, ignoscunt Iesuite, si percontādo magis quam exprobrando responderimus. Pium coniugium eorum qui nubere maluerunt quam viri, & votū hominibus præstitum transgredi, potius quam id, quod Deo in Baptismo nuncupauerant, violare, hoc inquam coniugium vocant sacrilegū concuberniū. Interrogare igitur placet Iesuitas, ut dicāt nobis, quale id fuerit contuberniū, ex quo nati plusq; sexies mille infantes in stagnū proiecti sunt, quorū capita ad Gregorū Papam, cum die quadā in viuarī suum propter pisces misisset, allata fuisse S. Vdalricus Augustanus Episcopus memorie prodidit, in ea Epistola, qua coniugium Sacerdotū strenue aduersus Nicolaū primū eius nominis Papā defendit. Dicant, quale sit contuberniū, qd Ioannes Casa Archiepiscopus Beneuetanus, verbis spurcissimis & scelerata facūdia cōmensasse dicit. Deniq; (ne in hoc cœno diu hæreamus) dicāt quale sit contuberniū, ex quo Romæ in singulos annos vectigalís nomine, ad triginta millia ducentorum sanctissimus Dominus Papa colligit, quod publicè scribunt ij, quibus Curiæ Romanæ rationes non sunt ignotæ. Si hęc omnia negauerint, quæ tamen historiarū monumentis prodiū legūtur, saltem hoc

hoc dicant, quod negare nullo modo poterunt, qua-
le fuerit contubernium, ex quo Ioannes vel Ioanna,
ex Moguntinensi meretrice facta Pontifex, impre-
gnata, postremo dum urbem solenni ritu lustrat, in-
spectantibus Cardinalibus & Episcopis palam in
publico peperit. Multa huius generis proferre pos-
semus facinora, ipsis etiā Sodomitis & Gomorri-
tis stupenda & horrenda, quae ab illis pījs, scilicet, &
sacrosanctis contubernialibus, Monachis, inquam, &
Monialibus sāpē fuerunt designata. Sed magis quid
nos deceat, quam quid Iesuitarum petulans maledi-
centia sit cōmerita, spectabimus. Nunc ad rem ipsam
accedamus, hoc est, ad interpretationem loci Pauli-
ni, de viduis, primam fidem irritam facientibus. Hīc
primum, ut ingenuè agamus, omnium patrum, quos
allegant, expositiones à nostra diuersas esse fatemur:
& vt videant liberalitatem nostram, donamus eis &
hos, quos citant, & alios plures. Hī enim plerūq[ue]
solent per primam fidem intelligere promissionem
seu votum continendi & abstinenti à cōiugio. Vn-
de autem id probant: Negamus enim Paulum nomi-
ne primæ fidei intelligere votum perpetuæ conti-
nentiæ: negamus Apostolicis illis temporibus fuis-
se tale vōuēdi genus, quale est sub regno Pontificio.
Quomodo enim Paulus, tantus Apostolus, secum
ipse pugnaret. Scribit autē mox: Volo iuniores nu-
bere, liberos gignere, domum administrare. Et aliās: ^{1. Cor. 7.}
satius est matrimonium contrahere, quam vri. Et
rursus: Hoc ad id, quod vobis conducibile est, dico,
non vt L A Q V E V M vobis iniçiam. Quid est: Non
vt laqueum vobis iniçiam aliud, quam: Non vt vos

Y iii ta

ta facienda exigam. Sunt enim talia vota, quæ Hypocritæ excogitarunt, inextricabiles laquei, quibus conscientiæ hominum ita irretiuntur, ut nisi verbo Domini soluantur, non inueniant, quo euadant. Non est igitur sentiendum, quod Paulus nomine primæ fidei intelligat votum perpetui cœlibatus, quod magis, si de eo loquutus esset, secundam quam primam fidem dixisset: sed intelligit pactum, quod in Baptismo inrisolet. Cum enim in Baptismo Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus recipit nos in gratiam, & adoptat nos in filios ac hæredes suos, recipimus nos vicissim gratos fore, & ducturos piam & honestam vitam, ut nomen Dei per nos glorifice-

^{17.16.} Pet. 3. tur. Hoc est pactum, hæc est stipulatio, ut Petrus ait, qua Deus & homo inter se conueniunt. Et hanc stipulationem vocat Paulus primam fidem: Cum autem primum non soleat dici, nisi respectu secundi, & Paulus non faciat expressam mentionem secundæ fidei, dubium non est, quin ad secundam quoque respiciat: quæ solet præstari, cum quis ad publica officia aut alienam seruitutem vocatur, videlicet, ut ministerio & officio suo diligenter, pie & fideliter fungatur. Quare sententia Pauli hæc est, quod iuniores viduae non sint eligendæ in ministerium Ecclesiasticum, quia saginatae Ecclesiasticis facultatibus solent lasciuire, impudicam vitam ducere, & scorbuti, adeoque eam fidem, quam primam Christo Domino nostro in Baptismo dederunt, violare. De qua fide etiam paulo ante loquutus est, si qua suis & maximè familiaribus non prouidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Quod si autem non seruant primam fidem

fidem, quam Christo de honestate vitæ suæ dederūt,
quomodo seruarent secundam? quam promiserunt
hominibus, & qua receperunt, se officium suū sum-
ma diligentia & studio administraturas? Si violare
fidem filio Dei datam, quomodo non violarent fidē
filijs hominum promissam? Hæc est vera sententia
Pauli, quam circumstantiæ eius tam loci quam tem-
poris ostendunt. Non igitur primam fidem irritam,
sed potius ratam faciunt hi, qui malunt, abiectis va-
nis suis votis, honestam vxorem ducere, aut honesto
marito nubere, quam aut in honestas voluptates ses-
qui, aut foedis ac impuris cogitationibus indulgere.

Cyprianus lib. i. Epistola ii. ad Pomponium.

Quod si se ex fide Christo dicauerunt, pudicè &
castè sine vlla fabula persevererent: ita fortes & stabi-
les præmium immortalitatis expectent. Si autē per-
severare nolunt, vel non possunt, melius est vt nu-
bant, quam in ignem delicijs suis cadant: certè nul-
lum fratribus aut sororibus scandalum faciant, &c.
Occasio autem scribendæ huius Epistolæ Cypriano
fuit, quod virgines quædam Deo dicatae, dormierat
in eodem lecto cum viris, è quibus unus fuerat Dia-
conus. Vnde, quid iam tum istis cum natura pugna-
tibus votis effectum fuerit, perspicitur.

Chrysostomus in hunc locum.

Volo igit̄, quia & ipse volūt, volo & ego adolescē-
tulas nubere, filios gignere, matres familiās fieri, dos-
mī residere. Lōgē. n. pr̄stat h̄c facere q̄ illa (scilicet
scortari, ociari, discurrere.) Oportebat quidē solicite
curare

curare quę Dei sunt, fidemq; seruare: quoniam verò illa non sunt melius est ista fieri, quām illa. Neque enim Deus irritatur, neque mala ista discūtur: quippe viduitas illa nihil parit boni: ex nuptijs verò plus rima bona prodeunt: & illud ante omnia, quod negligentiae illarum & animo resupino consulitur, dum viris se subditos norunt.

Theophylactus Abbreviator Chrysostomi in hunc locum.

Volo iuniores nubere, idest, et si maluissimē viduas minimè desciuisse à pactis initis cum Christo, tamen cum nuptias malint, & ipse assentior, dum modo iuniores sunt, quae nubere volunt. Est enim satius matrem familias fieri, domus & familiæ curam suscipere, & aliquid operari, quām per alienas domos vagari, & ad nugas conuerti, & ocium. Cum vero ait, filios procreare, ostendit illis esse nubendum, ut filios pariant.

Augustinus lib. de sancta virginitate. cap. 34.

Nec tamen ait, Nubunt: sed, nubere volunt: mulatas. n. earum reuocat à nubendo, non amor præclarū propositi, sed aperti dedecoris timor (habes Papistis carū monialitū descriptionē) venires & ipse à superbia, qua formidat magis hominibus displicere quām Deo. Hę igitur quę nubere volūt, & ideo nō nubūt, quia impune non possunt, MELIVS NVBERENT QVAM VRERBNTVR, idest, quām occulta flama concupiscentiæ in ipsa concupiscentia vastarentur.

Idem lib. 2. de Adulterinis coniugijs cap. 12.

Nunc rectissimè dicitur: Qui potest capere, capiat:

piat, qui autem se non continet, nubat. Tunc (tempore scilicet Patriarcharum) etiam continentia propter propagationem filiorum in nuptiarum descensus debat officio. Nunc autem (tempore scilicet noui Testamenti) vinculum nuptiale incontinentiae subvenit vitio, ut ab eis qui se non continent, non per turpitudinem stuprorum, sed per honestatem coniugiorum, sit propagatio filiorum. Et paulo post. Si ergo se continet, nec nubat, nec generet. Si autem se non continet, licet nubat, ne turpiter generet (ut Mosnachi & Moniales) aut turpius concubendo non generet (ut quidam Cardinales in Italia.)

Non negamus tamen, quin alibi vehementer urgeat obseruatione voti, praesertim in Psal. 75. (si modo Augustini est) Nec mirum. Detestabatur enim leuitatem earum, quae statim resiliebant a voto, & solebat eas aut non vouere, aut si vouissent, omnem operari dare, ut in eo quod voverant, persisterent. Sed tamen perpetuo vera manet illa Regula, que etiam iuri Canonico inserta est: In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum, 22. q. 4. In malis.

Concilium Toletanum 8. ut citatur, 22. q. 4. Si publicis, &c.

Tolerabilius est stultae promissionis vota rejicere, quam per inutilium promissorum custodiam ex horrendam criminum implere mensuram, &c. Itaque hunc Canonem Concilij Carthaginensis quarti, Canoni 104. & Toletani quarti, Canoni 54. opponimus.

Gelasius Papa et si Decreto 23. in exigenda obseruatione voti viduialis satis rigidus & austerus est, tamen mox hanc mitigationem subiungit: Nos autem (inquit) talibus nullum laqueum debemus injicere, sed so-

Ium adhortationes præmij sempiterni, pœnasq' proponere diuini iudicij, vt & nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cauendum est quippe, quæ de earum moribus actibusq' beatus Paulus Apostolus testat, quod plenius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam D E T E R R E R I quam A D M O N E R I videatur, &c. En tantus alioquin votorum Encomias nubentes post vota relinqui iubet, iudicio propriæ conscientiæ: & magis vult eas admoneri quam deterreri. Sed Iesuitæ has tanquam sacrilegas, sine omni gratia & clementia, in infernum præcipitant. Quæ certè tyrannis in Ecclesia, post exortā, & pleno iubare fulgentē Euāgeliū lucē, meritò detestanda est.

Sed vt reuertamur illuc vnde digressi sumus, vis delicet ad veram sententiam dicti Paulini, de violatione prime fidei: et si Iesuitæ nostræ interpretatione de fide Christo in Baptismo data, quæ prima est, vociferantur esse nouā, hæreticā, & omnibus Patribus contrariā, tamen aliquos, tū veteres, tū recentiores scriptores Ecclesiasticos, iam olim eodē modo, quonos verba Apostoli intellexisse, iam clarissimè testimoniū faciemus. Semper enim aliqui diuino beneficio in Ecclesia conseruati sunt, qui dono interpretatio-
nis scripturarum præditi, acutius viderunt, quam cæci cæcorum duces Iesuitæ.

Athanasius lib. 6, de Trinitate. Vę vobis (inquit) q' primā fidē Baptismi, cœlitus institutā irritā facitis.

Hieronymus in præfatione in Epistolam ad Titum: Licet, inquit, non sint digni fide, qui primam fidem irritā fecerunt, Martionē loquor & Basilidem,

&

& omnes hæreticos, qui vetus laniant Testamentū.
 Vincentius Lyrinensis, in lib. cōtra profanas omniū Hæreſeon nouationes. Scitū etenim cunctis est, quām grauiter, quām ſeuere, quām vehemēter inueniatur in quosdā beatus Apostolus Paulus, qui mira levitate nīmum cito translati fuerant ab eo qui eos vocauerat in gratiam Christi, in aliud Euangelion, quod nō est aliud: qui coaceruauerāt ſibi Magistros ad ſua deſideria, à veritate quidē auditū auertentes, conuerſi verò ad fabulas, habētes damnationē, quod primam fidem irritam feciſſent, quos deceperant iſi, de quibus ad Romanos fratres ſcribit idem Apoſtoſ Ius: Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui Rom. 16. diſſenſiones & offendicula preter doctriṇam, quam iſi didiciſtis, faciunt, &c. homines corrupti mente, reprobi circa fidem, &c. Qui bonam conſcientiam repellentes circa fidem naufragauerunt.

Et paulo pōſſe.

Sed licet aut nos (inquit) aut Angelus de Cœlo euangelizet vobis prēterq; quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Quid est quod ait: Sed licet noſ Cur nō potius, ſed licet ego: Hoc eſt, etiāſi Petrus, etiāſi Andreas, etiāſi Ioānes, etiāſi poſtemō omnis Apoſtolorū chorus euāgelizet vobis prēterq; quod euāgelizauimus, anathema sit. Tremenda diſtrictio, propter aſſerendā primā fidei tenacitatē, nec ſibi nec cæteris coapostolis peperciffe. Parū eſt, etiāſi Angelus, inquit, de cœlo euāgelizet vobis, prēterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Nō ſuf fecerat ad cuſtodiā traditā ſemel fidei humānę conditionis commemorasse naturā, niſi Angelicā quoq;

Z ñ excels

excellentiam compræhendisset. Licet nos, inquit, aut Angelus de Cœlo. Non quia sancti cœlestesq; Angelí peccare iam possint, sed hoc est quod dicit: Si etiā (inquit) fiat, quod nō potest fieri, quisquis ille traditā semel fidē mutare tētauerit, anathema sit.

Glossa interlinearis, quæ in Ecclesia est receptissima, dicit, primā fidem hoc loco significare, vel votum, vel in voto violato Baptismi fidem.

Nicolaus de Gorra in eundem modū intelligit dicens: vel primum votum GENERALE, fidē scilicet Baptismi, qua Christo despontata erat. Osee 2. Spōsabo te em in fide, &c. Quæ igitur sic aduersus Christum (iuxta veritatē gr̄cam) luxuriatur, infringens voti baptismatis fidē, merito condemnationē habet.

Eant nunc lesuitæ, & mentiantur OMNES CATHOLICOS PARENTES, qui occasione aliqua verba hæc exposuerunt, per primam fidem intelligere, votum vel promissionem castitatis, aut hos iam recitatos scriptores proclament hæreticos, apostatas, & apostatarum patronos, quibus flosculis nos à progenie viperarum ornamur.

IESVITÆ.

Volo ergo iuniores nubere.

III. Non eas, quæ castitatem Deo voverunt, solvit Apostolus In hunc locum, lege votis (ut recte Ambrosius, Octumenius, Sedulius, & Anselmus annotarunt) quod quamvis fecisset, Apostolica vel diuinæ v̄sus fuisset auctoritate, quam hodie mulci non requirunt, sed ipsi sibi plus quam Pontifices sunt & Apostoli. Sed præcipit.

præcipit, ne in posterum ad viduarum vota vel professionem admittantur iuniores, quas etiam nubere vult, atq; filios procreare. Hoc autem ideo vult, ut Ambrosius & Oecumenius, imo & verba ipsius Apostoli significant, quod exempla quedam mala præcesserant iuuiculari viduarum, quæ post votū castitatis, sponso Christo contempto, securæ fuerant Satanam.

Recè autem admonet Hieronymus, voluntatem Apostoli, quæ Hierony. epist. hic declaratur esse coadlā (non enim eas nubere vellat, si in ad Gerunciam. professa castitate constantes fore confideret) liberam vero & absolutam illam esse, quam alibi verbis illis manifestauit: Volo omnes esse, sicut meipsum.

RESPONSIO.

Benè est, quod vel tandem in hac positione fatentur, Apostolica vel diuina authoritate posse eas, quæ castitatem voverunt, solui religione voti. Num vero qui hodie ex sacrarum literarum fundamentis de impietate Monasticorū votorum eruditī, & de mustando in melius vitæ genere, probe in conscientia confirmati, ex istis vestris ergastulis profugint, & nubere quam viri malunt, num inquam, alia quam Apostolica & diuina authoritate hoc faciunt? Nonne Apostolica authoritas est: Melius est nubere quam viri? Nonne diuina authoritas est: Non omnes capiunt verbum hoc? Et: Frustra colunt me doctrinis ac mandatis hominum? Certè qui his authoritatibus freti, etiam post vota matrimonii contrahunt, non sibiipsis Dij & Apostoli sunt: sed Dei & Apostolorum mandata sibiipsis applicant: & quia hæc ad

Z iii se

se quoque pertinere sciunt, recte & ex fide faciunt, quod spreta Pontificia authoritate, Deo malunt obediare quam hominibus: & Christum unicum totius Ecclesiae sponsum cum sponsis suis sequi malunt, quam Ecclesiae adulterum, Papam, cum meretricibus. Vetus quidem Canonistarum catilena est, votum continentie soli Papae dispensabile esse. Sed nos iamdudum didicimus, his decretis non obedire, sed oppedere. Ea enim plerique, ut iuuenculæ illæ viduæ, contempto Christo sponso totius Ecclesiae, Satanam & Papam sequuntur.

Porrò Hieronymum scimus ad Geruntiam Paulum duplarem affingere voluntatem: aliam coactam, qua indulget nuptias, nubere volentibus: aliam liberam, qua praecipiat innuptis, ut innuptæ permaneant. Sed hic error Hieronymi tam est crassus, ut illum Erasmus etiam Roterodamus depræhenderit. Qui dum huic epistolæ Hieronymianæ aliquot præmittit antidota, hoc etiam præmittit: In hac, inquit, epistola, duriuscule ac penè contumeliosè insectatur digamiam. In Paulo ponit duas voluntates. Alteram, qua voluerit id quod vere probauit, hoc est, monogamiam: Alteram, qua nolens voluit, hoc est, permisit quod non probauit, ne quid deterius accideret, ut digamiam. Hæc Erasmus. Nec est quod vel Hieronymus, vel Iesuitæ sibi blandiantur illo Pauli non precepto sed optato voto: Velim omnes esse, ut & ipse sum. Non enim dissuadet, multo minus prohibet concubium, quod & honestum est & diuinitus institutum: sed cum ponit sibi ob oculos præsentia pericula & afflictiones, ac videt concubia piorum non parum habere difficultatis eo tempore, in medio impiorum ethnorum, optat Corinthijs tranquillitatem & securitatem: Arbit-

teror (inquiens) hoc bonū esse, propter præsentē necessitatē. Et: Velim vos absq; solitudine esse. Et tamen videt ipse, hoc optari magis quām sperari posse. Postquam .n. dixisset : Velim omnes homines esse, vt & ipse sum, continuo subiicit: Sed vñusquisq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, aliud autē sic. Et postea: Non vt laqueū vobis iniiciā. Coniugium igitur donū Dei est, non quidē ita tranquillum semper, vt cœlibatus: donū tamen Dei, nō tanquam in honestū dissuadēdum, nec tanquam sordidū pedibus cōculandū. Et qui sine discriminē temporū ac personarū adigit homines ad cœlibatū, nō vocat eos ad libertatē, sed iniicit eis laqueum. Quid autē coacta vel virginitas, vel viduitas pdesse soleat, in quæ horrenda scelera, & in qualem damnationis voraginē (vt Canones loquuntur) præcipitet, & historiæ tradunt, & experientia docet, & vel vna hæc pī Pōtificis vox testatur, quam Platina refert: Fuisse quidem aliquas causas, cur ademptū sit sacerdotibus coniugiū, sed multo maiores esse causas, cur redi debeat. Et Hulderichus scribit, Gregorium, repertis in piscina illis sex millibus capitibus infantum, suo Decreto, quo causam tantę cedis præbuerat, penitus dānato, Apostolicū illud laudasse cōsiliū: Melius est nubere, quam viri: addidisseq; ex sua parte: Melius est nubere, quam mortis causam præbere,

IE SVIT Æ.

Dicit enim scriptura: Non alligabis os boui trituri, & dignus est operarius mercede, &c.

Igitur

V.

Deut. 19.

Deut. 25.

Match. 10.

Luc. 10.

1. Cor. 9.

Igitur diuino iure atq; natura Presbyteris & reliquis Ecclesiae ministris, qui suo munere legitimè funguntur, debit a sunt illa, quæ ad victimum, vestitum, statumq; decentem fuerint necessaria. Quare obmutescant Hæretici, qui hæc non deberi, sed vel ex liberalitate, vel misericordia dari à plebe, calumniantur. Illi vero Presbitero, qui non est bos trituras, vel operarius, sed in ocio degit, suoq; forsitan exemplo, male de plebe meretur (quamvis indignissimus ipse sit omni subsidio) subveni tamen non debet ordinarium stipendium, priuata cuiusq; authoritate. Cum autem legis: Dignum esse operarium mercede sua, non precium intelligas pro rebus aut functionibus sacris reddendum, quod esset Simoniacum: sed stipendium ad alendos Ecclesiae ministros, necessarium, de quo stipendio ministri pauperes etiam pacisci cum his possunt, à quibus illud accepturi sunt. Qui vero possunt aliunde sibi sumptus facere, pacisci non debent, quamvis possint illud vel lege, vel consuetudine, vel liberaliter oblatum accipere.

RESPONSIO.

O quam suæ culinæ metuunt Iesuitæ, qui tam sollicitè cauent, ne fuci ex alvearibus ejulantur. Quia enim sciunt plerosq; Monachos & Sacrificulos esse boues non triturantes, sed vorantes & recalcitrantes, esse operarios malos & infideles: ideo timent ne subtractio ipsi stipendio, aut fodere cogatur, quod non valent, aut mendicare, quod erubescunt. Itaque Canonem de malis & ociosis Presbyteris condunt, qui *πρὸς τὰ φροντίδα* faciat, quo gulas ventresq; suos munit, non dissimilem ijs Canonibus, quos Diabolus

ex

ex Orci fauibus eructauit: Si Papa. Et: Si quis sua
dente diabolo, &c. Sed tamen ut modestiores video
antur, Canonem suū hoc limite circumscribūt: Subs
trahi ipsis non debere stipendium PRIVATA CV
IVS Q Y E A V T H O R I T A T E. Quasi verò vnq; à
nobis cuilibet priuato concessa sit licentia eripiendi
Monachis & sacrificulis sua, ut vocant, beneficia &
præbendas: & non potius publica authoritate totius
Ecclesiæ, ac ipsorū præsertim Magistratuū & Prin
cipum id fieri debere doceamus. Cum em Reges & Esa. 49:1
Principes nutrīcij sint Ecclesiæ, ipsorum maxime in
terest despicer, quos alere & nutritre debeat, ne pro
apibus fucos, pro bobus canes in præsepio, & (quod
prouerbio fertur) serpentes in sinu foueant. Non de
cet profecto ut vera membra Ecclesiæ, pīj ministri,
scholastici, pauperes, vidue, pupilli, ægroti, peregrini,
& id genus miseri ac miserabiles homines algeat.
& esuriant, ac interim obesi Monachi, Canonici, &
similes ventres, ita in omni genere voluptatum vos
lotentur, ut Sodomam prop̄e in peccatis suis iustifi
cent. Sed etiamsi Reges & Principes suum hac in Ezech. 16:1
parte officium neglexerint, erit tamen, erit aliquan
do tempus, cum diuites epulones Lazarum antea ē Luc. 16:1
sublimi despectum, ex imo Tartaro suspicent, in si
nu Abrahā triumphantem: ibi tum Monachis &
sacrificulis stipendium verè subtrahetur, cum in illis
flagrantissimis ardoribus & sempiternis ignibus,
minima aquæ guttula ipsis denegabitur.

Sed egregie suo se indicio, quasi sorex, produnt,
quod crimi ni Simoniæ sint obnoxij. Negant enim
pro rebus aut functionibus sacris accipiendo esse

a præcium,

precium, quod sit Simoniacum. Vnde igitur, queso, soci sacrificiorum tam luculento igni calent: vnde tam laute renident culinæ: vnde tā opiparē instruuntur mensæ: vt scorta nitida, equos comptos, canes venaticos minime strigosos, volucres ad aucupia, & alia luxuriæ Pontificiæ instrumenta taceam. Vnde (inquam) hæc maior ex parte olim sunt adquisita: vnde adhuc parantur & possidetur: Nunquid non ex Missarum nundinatione: nunquid non ex omnibus sacris venalibus: Quid em est, quod nō negotiatiōnī illorū inferuiat: quæstum certè faciunt ex rebus omnibus, cœlo, inferno, terra, tempore, vino, pane, oleo, lino, plumbo, papyro, membrana, cera, lase, butyro, caseo, lardo, ouis, aqua, igni, sale, & omnibus in vniuersum creaturis. Itaq; non frustra Petrus de hisce mercatoribus iam olim vaticinatus est, inquiēs: Per avaritiam fictitijs sermonibus de vobis negotiabitur. Quid autem de hac Simonia veteres Patres senserint, notum est: quid etiam de illis amplissimis Ecclesiasticarum Personarum redditibus, quos hodie percipiunt, iudicarint, ex subscriptis testimonijs manifestum fiet.

Origenes in Mattheum cap. 24. Homil. 31.

Opus habemus, vt fideles simus pariter & prudētes ad dispensandos Ecclesiæ redditus. Fideles quidem, vt non deuoremus, quæ sunt viduarum, & vt memores simus pauperum, & occasionem arripientes ex eo, quod scriptum est: Dominus cōstituit his, qui Euangeliō prædicant, de Euangeliō viuere: non amplius queramus quām cibū simplicē, & necessaria vestimenta, vt ne amplius teneamus nobis quām des-

mus

mūs esurientibus fratribus, & sitiētibus atq; nudis,
& eis qui necessitatē patiuntur in secularibus curis.

Hieronymus ad Damasum Papam, & citatur

1. q.2. Clericos.

Clericos autem illos cōuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autē bonis parentū & opibus suis sustentari possunt, si, quod est pauperum, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusus onem talium, iudicium sibi manducant & bibunt.

Idem in Comment. in Matth. cap. 21.

Obserua propter auaritiam Sacerdotum, altaria Dei nummulariorum mensas appellari.

Durandus in Rationali Diuinorum lib. 4. Pars

te. 2. Rubrica. 4.

Sanè Moses videns, quod populus multa obtulisset, iussit præconis voce cantari, ne quis vltra offeras. Exod. 35. & 36. Nullus tamen Sacerdotum nostri temporis talia facere visus est.

Marcellus Palingenius in Scorpione.

Est tutela ouium curæ commissa luporum,
In templis habitant meretrices atq; cinædi.
Et Christi pia sacra hodie manus impia tractat,
Et cupidus vendit cœlū & Phlegeton Sacerdos.

Hæc & cōplura alia, præsertim in Sagittario suo, homo Italus in Italia & natus & educatus & mortuus, nostris temporibus de Ecclesiæ Romanæ stipendijs, hoc est, Simonia, fraudibus, rapinis & sacrilegijs cecinit. Quid autem Petrarcha de his cecinerit, in

truijs & compitis teritur. Itaq; Jesuitis non tam facile creditur, eos non esse Simoniacos, quam facilè ab ipsis dicitur. Rusticorum enim loculi & crumenæ à Pontificijs mercatoribus funditus exhaustæ a liud testantur: quorum mercatorum imposturæ, si paulo diutius durassent in Germania, nescio an miserae plebeculæ ullus relictus fuisset obolus, quo Charonti (vt adagium habet) naulum potuissent sole uere. Itaq; scitū fuit illud Alphonsi Neapolitani sapientissimi Regis dicterium: Harpyas non amplius habitare in insulis Straphadibus: sed illinc commigrasse in curiam Romanam, ibiq; domicilium iam constituisse. Quo inexplebilem auaritiam & rapacitatem Romanensium Sacerdotum taxare voluit.

IESVITÆ.

Aduersus Presbiterum accusacionem noli accipere.

VI. *Siquidem lectionem sequamur paucorum exemplarium, in quibus verba illa defunt: Nisi sub duobus aut tribus testibus, videtur Apostolus Timotheo simpliciter prohibuisse, accusationem aduersus Episcopum admittere, sibi causam illam reseruare. Si vero communior lectio latinorum & græcorum exemplarium retinetur, in quibus verba illa leguntur præcipere videtur, non aliter nomen Presbyteri delatum esse recipiendum, quam si duo vel tres fide digni testes contra illum testimonium dicant. Quæ enim Presbyteris objiciuntur,*

ciuntur, non facile credenda sunt, cum propter etatem & exploratos mores, antequam in eum ordinem admitterentur, eum quod multorum odio laberant. Nec mirum est, causas etiam Episcoporum ad Timotheum delatas fuisse: nam si Chrysost. hom. ino credimus, totius ferè Asia Archiepiscopus fuit. Hinc & aliunde facile contra nouatores concluditur: Episcopos nonn. dum ministerium, ut ipsi calumniantur, sed & iudicandi atque Acto, 15.20. multandi potestatem habuisse.

R E S P O N S I O .

Vt in præcedenti Positione de perpetuis stipendijs sibi cauerunt: ita nunc de longè maiori priuilegio sibi cauent Iesuitæ: vt videlicet ab omnibus rebus præhensionibus & accusationibus sint immunes, quo, si dñs placet, diuino satisfiat edicto: Nolite tangere Christos meos, hoc est, Iesuitas. Nam Christus & Iesus nomina sunt vni personæ competentia. Vis detur, inquiunt, Apostolus Timotheo simpliciter prohibuisse accusationem aduersus Episcopum admittere. Atqui, heus Iesuitæ, non de Episcopo hic fit sermo, sed de Presbytero. Ergo rursus Episcopum & Presbyterum confunditis, quos alioquin tam curiosè discernitis. Et vestrum videtur, soluitur per nostrum, non videtur. Pauca, inquiunt, exemplaria non habent haec verba: Nisi sub duobus aut tribus testibus. Et certe, o Iesuitæ, nimis pauca quam velletis. Et tamen haec pauca, in quibus illa verba deesse dicitis, non dubito à vestri similibus falsariis corrupta esse: qui se libenter tanquam filij Belial, ab omni

iugo exemissa^t, ne cuiusquam homini^s potestati &
Iurisdictioni essent subjecti, sed liberè pro sua libe-
dine quidlibet auderent facere. Nam Monachis &
Sacrificulis, quidlibet audendi semper fuit æqua
potestas, vetus. n. est, & heu nimū verus versiculus.

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis Monachus, &c.

Et sane quod adulterandis scripturis non potue-
runt, id nouis conditis Canonibus effecerunt Pon-
tifices: quorum alijs seipso^s, alijs totam sibi iuratam
turbanū, vñctam illam & rasam cohortem, ita munis-
erunt, ut sacrosancti & inuiolabiles ab omnibus ha-
berentur. Ex multis paucos tantum recitare libert.

^{m. q. 1.} Nemo vñquam Episcopum aut reliquos clericos
apud iudicem secularem accusare præsumat.

Nec Laico quemlibet clericum liceat accusare.

Nec quicq^u clericis cōmune est cū publicis legib.

Vos à nemine dijudicari potestis: quia ad Dei so-
lius iudicium reseruamini.

^{m. q. 3.} Absit ut quicquam sinistrum de his arbitremur,
qui Apostolico gradu succedentes Christi corpus
sacro ore consciunt.

^{m. q. 7.} Laici in accusatione Episcoporū audiēdi nō sunt,
quia oppido eis quidam infesti sunt: & indignū est,
ut ab eis accusent, q^uo rū grauitatē nolunt imitari.

^{m. q. 1.} Nō est à plebe, aut à vulgaribus hominibus accus-
sandus vel arguēdus Episcop^s: licet sit inordinatus:
ga p meritis subditorū disponit à Deo vita rectorū.

Non accusent Sacerdotes Domini, nec in eos tes-
tificentur,

Sifcentur, qui sui ordinis non sunt, nec esse possunt.

Oues Pastorem suum non repræhendant, plebs Episcopum nō accuset, nec vulgus eum arguat: quia non est discipulus super Magistrum.

Præsul non damnatur, nisi cum 72. testibus. Pres. 1. q. 5.
byter aut Cardinalis, nisi cum 63. testibus non depos-
natur. Diaconus verò Cardinalis vrbis Romæ nisi
cum 27. testibus non condemnabitur. Subdiaconus.
Acolutus, Exorcista, Lector, Hostiarius, non nisi se-
ptem testibus condemnabitur.

Deniq; Tyberina bellua sic ex antro suo rugit: Si Dist. 4o. ca. 5.
Papa.
Papa suæ & fraternæ salutis negligens depræhendis-
tur inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à
bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus:
nihilominus innumerabiles populos cateruatim se-
cum ducit primo mancipio Gehennæ, cum ipso pla-
gis multis in æternum vapulaturus. Huius culpas
isthinc redarguere præsumit mortalium nullus: quia
cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus.

H O S Canones si in Ecclesiam rursus inuehere Ies-
suitæ conantur, nescio an grauiores & crudeliores
Tyrannos vñquam habuerit Germania. Sic enim lis-
berū erit Sacrificulī honestorū ciuitū filias ad stuprū
rapere, cōiuges ad adulteria solicitare, foetus abiges-
re, in bona & prædia aliena inuolare, furari, prædarī,
oues nō tōdere tātū, sed & deglubere: deniq; id ar-
bitrari licere, quod libeat. Quis enim semper se-
ptem testes, ne dicam septuaginta duos, comparabit,
qui de vi aut iniuria illata testentur quis non in cle-
ricorū cōfessu clericum accusans causa cadet? quis.
A res ad summum Pontificem deferatur, ab ipsius
sententia

sententia quantumvis iniusta prouocare audebit? Quis Germaniae & totius sacri Imperij legibus, aduersus dolos, contumelias, calumnias, vim Ecclesiasticorum & Spiritualium, vt vocantur, tutus erit? Silebunt certe leges inter clericos, & non presumetur, tantum dignitatis apex errare posse. O libera & libertatis semper non minus quam vitae amans Germania; tene isti homines clericis seruire cogent, vt aduersus eos ne mutire quidem audeas: qui nullo bono & laudabili facto, sed tantum impia hypocrisi, hisce proximis viginti annis tibi innotuerunt? Ergo ne ideo a Franciscanis, Dominicanis, Augustinianis, Carmelitis, & alijs sexcentis ordinibus liberati sumus, vt solos Iesuitas ferre cogamur, & eorum parere tyrannidem? Hoc autem esset pro trabe Ciconiam, pro flagellis Scorpiones perpeti. Iudicet ergo Dominus inter nos & Tyrannos istos. Atqui (aiunt) olim etiam huiusmodi causae omnes ad Episcopos delatae fuerunt, quos praeter verbi ministerium etiam iudicandi atque multandi potestatem habuisse, facile contra nouatores (adeo illis noua est pia religio) concluditur. Et ne hic absq; scripturis loqui videantur, ad margines locos ex novo testamento signant, qui de spirituali Iurisdictione Ecclesiae loquuntur: qua morum censura agitur, & clavium officium exercetur. Hanc autem potestatem Ecclesiae datam nemo nostrum unquam negauit. Sed eandem a potestate gladij, ab illo forensi strepitu, & litigioso processu (qualis in Episcoporum aulis, & Officialium Curia passim conspicitur) longissime separamus. Deinde non viuis arbitrio permittimus, sed a legitimo

timō confessū & Ecclesiæ consistorio administran-
dam esse docemus. Neq; enim olim vel mulctis, vel
carceribus, vel alijs civilibus pœnis potestatem su-
am exercuerunt sancti Episcopí: sed solo Domini
verbo, & seuerissima Ecclesiæ vindicta, excommu-
nicatione, quæ nec vim nec manum desiderat, sed
verbi Dei potentia cōtentā est. Committebatur aut̄
illa Iurisdictio non vni Episcopo, sed Presbyteris,
hoc est, Senioribus & Senatoribus, quos etiā Apo- 1. Cor. 12.
stolus alicubi gubernatores vocat, & quorū Colle- Rom. 12.
giū Christus Ecclesiæ nomine significat, cum inquit: Matth. 18.
Dic Ecclesiæ. Huic aut̄ collegio Presbyterorū Epis- Cyprianus li. 3.
scopus præerat, nō vt ibi regnaret tanq; abegit, sed Epistola 10. 14.
vt ex eorum sentētia, ordinis causa, ecclesiasticā pos-
litiā regeret & moderaretur. Sed postea degeneras-
uit hoc institutum à suis primordijs, & partim Epis-
coporum ambitione, partim nimia Christianorum
Imperatorum indulgentia & oscitantia conuersa est
spiritualis Iurisdictio in mēre politicam & mundan-
am, vt iam non, sicut Ambrosij ætate, Imperatores Homil. de Ballis
magis sacerdotiū optarēt, quām imperium Sacerdo- liciis tradendis.
tes, sed Sacerdotes magis ad imperium adspirarent,
quām ad Sacerdotiū Imperatores. Ita factū est, vt cū
Imperatores palatia, Episcopi Ecclesiæ curare debe-
rēt, Episcopi stertentibus Imperatoribus, tā palatia,
quām Ecclesiæ occuparint. Qua de re extat tā gra-
ues & acerbę honorum virorū, & cūm primis Bern- Bernhardus lib.
hardi querelæ, vt mirū sit, hunc nō fuisse iampridem 2. de considera-
inter hæreticos relatū à Jesuitis, qui Episcopis vtrū-
que gladiū nō minus falso, quā impudēter afferunt:
alienissimi profecto ab Apostolico spiritu per os

Pauli loquente: Arma militiae nostræ non carnalia sed spiritualia sunt: Sarculo (inquit Bernhardus ad Pontificē) opus est, non sceptro, ut opus facias Prophetæ: nec vel dominans Apostolatū, vel Apostolicus dominatum usurpare debet. Multa h̄c restarent dicenda: sed properandum est ad ea quæ sequuntur.

IESVITÆ.

Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere.

VII. Passus fuerat Apostolus, ad id usq; tempus (ut recte hinc Hieronymus & Chrysostomus colligunt) Timotheum abstinerè à vino, potuȝ aquæ contentum esse, sed & tunc non inquit moderato, sed quod minus est, modico vino utere, illoq; tanquam medicamento, propter languentem stomachum, & frequentes corporis debilitates: Si ergo in homine tam debili, cui iam multi pro Christi Ecclesia perferendi erant labores, abstinentiam probat à parte iusta quantitatris vini, certè commendaret abstinentiam omnino à vino in homine robusto, & virtiosis cupiditatibus agitato: Si badenus Timothei abstinentiam tacendo laudauit, certè nunc nisi postulasset necessitas, que h̄c exprimitur, ne modicum quidem istud vini concessisset. Quod si abstinentiam à vino laudat Apostolus, quo modo consequens est (quod noui Evangelici volunt) ut abstinentiam ab illis cibis vituperet, à quibus simile periculum imminet?

Vide Hierony. lib. 2. aduersus Iouin. & Chry. lost. hom. 1. ad populum Antiochenum & in hunc locum, &c Bernhardū sermo. 30. in Cant.

RESPONSIΟ.

Vtinam

VTinam verò Iesuitæ abstinentiam à vino & ci-
bis delicatis tam strictè seruarèt, quam ab alijs
exigunt. Nos certè ij non sumus, qui nimiam reple-
tionem vel in esu vel in potu laudemus. Scimus em̄
nos non ideo viuere, vt edamus ac bibamus, sed ideo
edere & bibere debere, vt viuamus. Escæ ventri (in-
quit Apostolus) destinatæ sunt, & venter escis: De-
us autem & hūc & illas abolebit. Nec valde eximia
Theologia est, quam hīc Iesuitæ docent, cū Ouidius
etiam hanc in edendo mediocritatem & tempe-
rantiam his versibus commendauerit.

Neue diu præsumme dapes, sed desine citra

Quām cupias, paulo, quām potes, esse minus.

Cū aut̄ hæc mediocritas, etiā Aristotele teste, cō-
sistat nō in medio rei, sed in medio quo ad nos (nam
quod tyroni nimiū est, id Miloni Crotoniatæ parū
est,) nec possumus nec debemus certam & commu-
nem Regulā omnibus præscribere, qua secundū vns-
cias vel cibū vel potū dīmetiamur: sed hoc vniuersu-
isq; prudētiæ, qua quis seipsum, & corporis sui cō-
stitutionē optimè nouit, relinquimus: & generatim
cū D.Paulo præcipimus, honorē esse habendum cor, Col. 2,
pori, nō tamē ad expletionē carnis. Qui verò prohibi-
bent: Ne tetigeris, ne gustaris, neq; contrectaris, hoc
est, qui certa ciborū & potionū genera certis inter-
dictis circūscribūt, & ab his prorsus abstinere iubēt;
eos dicimus tradere præcepra & doctrinas hominū,
quæ verbotenus quidē habēt speciē sapiētiæ per su-
perstitionē ac humilitatē animi, & læsionē corporis:
sed re ipsa sunt egena elemēta mundi, quæ omnia ip-
so vnu pereunt. Non est enim regnum Dei cibis ac-

Rom. 14. potus, sed iustitia & pax & gaudiū in spiritu sancto.

Hieronymus, à quo rursus Iesuitæ suffragia commendicat, lib. 2. aduersus Iouinianū sic scribit: Paulus Apostolus discipulo Timotheo dolenti stomachum, & infirmitates plurimas sustineti, suadet vini modicam potionem: Iam noli (inquit) aquam bibere. Cui autem dicit: Iam noli aquam bibere, ostendit eum aquam antea potasse. Quod non antè concederet, nisi crebræ infirmitates & dolor stomachi postulassent. Hactenus illa. Sed non mirum est Hieronymum hæc & alia longè absurdiora eo loco scriptisse, cum ieunium tam immodicis laudibus ibi deferendum suscepit, ut non vereatur scribere: nos per ieunium redire in Paradisum, unde per saturitatem fueramus electi. Verum hæc & similia Hieronymus suo, non Ecclesiæ periculo, scripsit.

Chrysostomus in hunc locum: Licet ille (Timoteus) & stomacho lassiceret, & alijs quoq; morbis esset obnoxius, non tamen ipsum vino permittit impleri, sed ad sanitatem non ad delicias præcipit bibere. Nihil hæc est, quod non & ipsimet dicamus. Scimus enim vino, vt & cæteris creaturis non esse abutens,

Præverb. 31. dum ad luxum & superfluitatem, sed ad necessitatem & indigentiam fragilium nostrorum corporum, & moestorum cordium. Idem de homilia primâ ad Antiochenos responsum esto, vbi sobrietas laudatur,

Epiph. heres. 45. Contra Seuerianum & Mahumeticum esset, non Christianum.

Bernhardus etsi vt Monachus ad Monachos de abstinentia à vino satis ~~morexikas~~, hoc est, superstitione loquitur,

loquitur, quasi Episcopo quidē vinū bibere à Paulo permisum sit. Monacho nō itē; tamen sermonem ita claudit: Id te saltem volo admonitum esse, vt si tibi ita authoritas Apostoli placet de bibēdo vīno, M O D I C O, quod ille adiunxit, non prætermittas. Vbi vides, eum mediocritatem, aut si maus, paucitatem, non nullitatem (vt sic loquar) vīni commendare. A liud enim est modicum, aliud prorsus nullum vīnum bibere. Neq; est ignotū, quod Alanus in vita Bernhardi scribit, eum in frugalis continentiae exemplo nimietate excelsisse. Tandem enim propter nimiam ~~impudicitiam~~, tantum foetorem halitus contraxit, vt ad hominum congressus redderetur ineptior atque inutilior. Qua in parte non tam in seipsum, quam in Ecclesiam, cui forsan diutius prodesse potuisset, peccata se iudicatur.

I E S V I T Æ.

E X C A P . VI.

Quicunque sunt sub iugo serui, Domini nos suos, &c.

Pluribus in locis Apostolicæ Epistolæ manifestam fidem faciunt, iam eo tempore ministros fuisse Satanæ, qui libertatis Rom. 13. Christianæ prætextu, tentarent omnes seruitutis & obedientiæ 1. Cor. 7. leges abolere. Quod se mancipiorum seruitutem iure Gentium Ephes. 6. inuestiam, quæ omniū maximè cum libertate pugnare, & odios Coloss. 3. b iii sa esse 1. Pet. 2.

a. Pet. 2. sa esse videtur, legibus Apostolorum firmatam videmus, quid iudae. 1. de obedientia dicemus, Pontificibus & terrenis Principibus
 Vide Epiph. hæres. Gnosti- debita, quæ nobis diuina lege præcipitur?
 sorum.

RESPON SIO.

ET si aculeos sentimus, quibus in hac Thesi à Iesu
 suis pungimur: tamē quia & nobis ipsi sumus
 bene conscientes, & calumniam de Christianæ libertatis
 pretextu sæpe diluimus, sic omnia interpretabimur,
 quasi contra quosvis alios, quam contra nos sint dic-
 ta. Vnum tamen est, quod non possumus dissimula-
 re: Obedientiam aiunt Pontificibus debitam nobis
 diuina lege præcipi. Evidem de sacerdotibus in lec-
 Deut. 17. ge Mosis, de Apostolis in Evangelio, & de ~~irruptione~~
 Luc. 10. seu præpositis in Epistola ad Hebreos lego: esse ipsis
 Heb. 13. obediendum: sed de Pontificibus non lego: quos si
 Episcopos dicunt, sententiam teneant, linguam cor-
 rigant: sin Papam Romanum, illum P. M. pestem
 maximam, non alio responso ipsos dignabimur,
 quam hoc:

Flumen apud superos nullum est, quid potibus ergo
 Est opus, aut quid opus denique Pontifice?

Ast apud infernos cum tot sint flumina, pontes
 Illi habeant soli, Pontificesque suos.

Quia vero in margine, inter ceteros locos scri-
 pturæ, quibus serui Dominis, & subditæ magistrati-
 bus parere iubentur, etiam allegant. Pet. 2. & Iudæ
 1. oro pium Lectorem, ut textus ipsos inspiciat: ac
 nisi omnia cum Monachorum & Sacrificiorum de
 quibus

quibus utrisq; Iesuitæ participant) doctrina & mo-
ribus congruere depræhenderit, age, pro bonis vi-
ris omnes Iesuitæ habentor. Etsi enim locum Iudæ
de Gnosticis interpretatur Epiphanius: tamen quia
in nefandis libidinibus, Gnosticis nihilo meliores
sunt Romanenses, non excluduntur ab Epiphaniis,
sed includuntur in numero eorum, qui carnem pro-
priam polluant, Dominos vero spernunt, & in po-
testate præditos maledicta congerunt: qui Frideric
i Barbarossæ lectissimi Imperatoris, & Alexandri
III. bipedum nequissimi historiæ legerit, eorum que
à Petro & Iuda scribuntur, luculentum habebitcom
mentarium.

I E S V I T Æ.

*Tu autem ô homo Dei, hæc fuge, sedca-
re vero iustitiam.*

Igitur secundum Pauli sententiam, Christiano viro fugien-
da sunt mala, & sedanda virtutes, quæ hic præter fidem com-
memorantur. Quod vero subiicit (Certa bonum certamen fidei,
apprehende vitam eternam) & quod paulo inferius dimitibus
commendat, ut bonis operibus diuites fiant, & eisdem bonis
operibus thesaurizent sibi bonum fundamentum ut appræhē-
dant vitam eternam, frustra diceretur ab Apostolo, nisi Dei
gratia præuntes, liberaq; voluntate sequente, Christianus cer-
tare posset & operari, sicq; vitam eternam promereri: quibus
enim brachijs alijs aut manibus appræhendatur vita eterna,
non facile fuerit intelligere.

IL

Respon

RESPON SIO.

Hic jesuitas publicè coram tota Ecclesia filij Dei non solum Pelagianismi, sed & Iudaismi, Turcismi, ac Ethnicismi accusamus. Quid enim aliud est dicere, hominem suis operibus vitam æternam promereri, quam dicere, Christum frustra esse mortuum: quid aliud est, quam Dominum, qui nos mercatus est, abnegare, & propriam iustitiam querentes constitutere, iustitiae Dei non fieri subditos: Itaque Iesuitis horrendū illud anathema Paulus intonat: Quot quot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Et rursus: Christus vobis factus est ociosus, quis cunque per legem iustificamini, à gratia excidiſtis.

Gal. 3.
Gal. 5.

In epistola autem Pauli verba detorquent, ad impiissimum suum dogma de operibus vitam æternā promerentibus. Neque enim Apostolus Timotheo ait: Certa bonum certamē fidei, PROMERERE vitam æternam: Sed, APPRAEHENDERE. Nec de diuitiis per bona opera thesaurizantibus bonum fundamentum, hoc est, non fluxas, sed certas & stabiles futuri seculi diuitias, dicit: ut PROMERE ANT VR vitā æternā, sed, ut APPRAEHENDANT. Quis autem nescit, aliud esse, Apprehendere, aliud, Promereri: Puer nondum septennis potest apprehendere hæreditatē paternam, qui tamen non potuit promereri. Mendicus potest apprehendere oblatos sibi & donatos centum aureos, quos tamen non est promeritus. Loquitur autem Paulus more suo de vita æterna, tanquam de gratuito dono, quod Deus gratis.

gratis ex mera bonitate & liberalitate proposuerit,
ceu brabēū, ad quod vocantur per Euangelion om̄
nes homines. Dum aut̄ ad id curritur, alī extra car̄
ceres euagant̄, alī in medio cursu deficiunt̄, alī pror̄
sus corruunt̄, alī recto cursu ad metam contendunt̄,
& brabēum, quod tamen braheutes Deus gratis ob-
tulit, & vt appr̄ahēdatur, exposuit, appr̄ahendunt̄.
Hortatur igit̄ Paulus Christianos, vt certent bō
num certamen, & recto ac indefesso cursu pergant,
quō Deus vocat: non vt pr̄mereantur vitā æternā,
quę iamdudū à Christo p̄merita gratis omnibus of-
fertur & proponit̄; sed vt eam gratis oblata, appr̄ahē-
endant. Qui em̄ perseverauerit usq; in finē, saluus
erit. Non sufficit benè incœpisse currere, nisi cursus
etīa benè cōtinuetur & absoluatur, vt donū proposi-
tum appr̄ahendatur. Sed quibus manibus (inquit
Iesuitæ) appr̄ahenditur? Facilimē cognosci potest,
quomodo appr̄ahendaſi prius cognitū fuerit, quo-
modo offeratur: correlatiuorū em̄ naturā habent of-
ferre & appr̄ahēdere. Offerunt̄ aut̄ vita æterna gra-
tis seu ex gratia, Ergo nō appr̄ahendit̄ operibus,
Sic em̄ gratia nō esset gratia. Offerit̄ vita æterna gra-
tuitis promissionibus Dei, Ergo appr̄ahendit̄ fide.
Fides em̄ & promissiones sese mutuo respiciunt. Et
cum promissio non appr̄ahendaſi operibus sed fide,
certū est, etīa vitam æternā nō operibus, sed fide ap-
pr̄ahēdi. Promissio igit̄ Dei manus est, qua offer-
tur: Fides aut̄ nostra manus est, qua appr̄ahenditur.
Et certe opera nusq; in scripturis cōparantur manus
bus, sed pedibus. Nā in operibus & nouitate vītē dis-
cimur ambulare, ingredi, currere. Ut igit̄ in humas

no corpore, pedes non sunt apta & ordinaria instru-
menta aliquid apprehendendi, sed sunt cōditi & de-
stinati ad ambulādum: ita in negotio salutis æternę,
bona opera non habent hunc vsum, vt ijs apprehen-
damus iustitiā & vitā æternā, ad quam vocati sumus:
sed habet alium vsum longè amplissimū, vt per bo-
na opera in vocatione Dei obedienter ambulemus,
& conuersemur, sicut dignū est ijs, qui ex gratia Dei
propter Christū per fidē dono acceperunt remissionē
peccatorū, iustitiā & vitā æternā. Et hæc ambulatio
seu conuersatio in bonis operibus, signum est fidei à
scopo nō aberrantibus, nec in certaminibus vitæ huic
deficientis, nec in peccata contra conscientiā ruen-
tis, sed recta ad vitā æternā apprehendendā aspira-
tis & enitētis. Itaq; rectissime iubemur bonū certas
mē certare, in stadio currere, corpus in seruitutē re-
digere, deniq; vt filios lucis, & cū Christo resuscitas-
tos decet, in luce & nouitate vitę ambulare, vt sic se-
stantes vocationē Dei fide apprehendamus illā im-
marcessibilē perennis glorię coronā, quam Christus
sua nobis obedientia, passione & morte peperit, &
ad eandem per verbū & Sacra menta vocat atq; ins-
 uitat. Tu aut, pie lector, ex vna hac lesuitica Affer-
tione, qua operibus nostris vitā æternā non tantum
apprehendere (quod fortassis tolerabile esset) sed es-
tiā promereri posse dicimur, tanq; ex vngue Leonē,
induratos Papistas iudicato, & quantū potes, velis
remisq; illā Babylonē fugito: cuius Principes sunt
mercatores, in cuius beneficijs errant gentes, & in
qua sanguis Prophletarū ac Sanctorum inuenitur, &
omnium qui interfici sunt in terra. Exite (clamat

Apoc. 18.

VOX

vox diuina) exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiat. Quoniam peruererunt peccata eius usq; ad cœlum, & recordatus est Deus iniuratum eius.

I E S U I T Æ .

O Timothee, depositum custodi, deuictans prophanas vocum nouitates.

De doctrinæ deposito siue traditione hic agere Apostolum, non tantum ex interpretatione Clemētis Alexandrini, Chrysostomi, Theophylacti, Tertulliani, Ambrosij, Augustini, præscript. hæret. Vincentij Lyrinensis, Primasij, Sedulij, Anselmi, & Haymo, ticoř. August. nis constat, sed ex verbis etiam illis, que proximè subjiciuntur: & oppositiones falsi nominis scientiæ. Legen- dum autem esse ἀνθρώπιας, hoc est, vocum nouitates, ut noster interpres recte verit, non autem, κυρωτίας, hoc est, vocum inanitatis, ex consensu omnium, quos nominauimus, & ex Theodoro & Gracis scholijs, manifestū est, dempto tamen Theophylacto, qui veramq; adfert lectionem. Magis etiam cum traditione, que commendatur veteritate, pugnat profana vocum nouitas, quam profana inanitas.

Clem. 2. Strom, Tertul. lib. de hæret. tract. 94. in loc. annem. Vincen- tius Lyrinensis libello aduersus profanas hæreti- corū nouitates. Reliqui in hunc locum.

R E S P O N S I O .

P Aulus sub finem huius Epistolæ pulcherrimo epilogo summā collecturus eorū omniū, de quibus tota Epistola varie differuit, & simul Timotheum rursus ad fideliē officij executionē adhortaturus,

c 2 iubet

subet eum diligenter custodire depositum , hoc est doctrinam , quam ab ipso tum antehac tum iam maxime in scriptis acceperat: quemadmodum & Christus nobis depositum doctrinæ suæ dulcissimis ver-

Ioan. 14. bis commendat : Si quis diligit me , sermonem meum seruabit. Quod si quis hanc doctrinam Pauli vult vocare traditionem , equidem non repugnauerit , cum Paulus ipse alibi sic vocet: modo non sentiat , Paulum voce sine scriptis alia tradidisse , quam quæ scriptis

2. Thes. 2. prodidit. Ipse enim nos monet , ne nos patiamur dimoueri à mente , neque turbari (neque per spiritum neque per sermonem , neque per Epistolam , tanquam ipso authore , &c. ubi nostros Papisticos Traditionarios & Calvinistas egregie depinxit. Porro siue quis hoc loco ~~exemplaria~~ , hoc est , nouiloquia (si sic noue dicere liceat) siue ~~exemplaria~~ , id est , vaniloquia velit legere: non odiosè cum quoque disceptabimus , utramque enim prohibentur. Certum tamè est , Erasmi lectionem , quam hodie sequimur , magis quam vulgata translationem à Græcis exemplaribus ap. pbari : & sane maius peccatum est , vana & inania loqui , quam noua. Quanquam n. plæteri que sint coiuncta , tamè quædā noua possunt esse vera: vana autem ut yera sint , in æternum fieri non potest. Et suffragans huic lectioni verba sequentia: oppositiones falsi nominis scientiæ: non inquit , noui nominis , sed falsi & vani nominis scientiæ. Sed omisso hoc Grammaticalib[us] bello , quod Patres à Iesuitis allegati de deposito , quod Timotheo cōmittit , senserint , videamus .

Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 2. Quemadmodum ergo insectat Philosophiā arrogātia & gloria: sa de se persuasio: ita etiā cognitionē (veri Dei) falsa cognitio

eognitio, & qua appellatur æquiuocè. De qua scripsit Apostolus. O Timothee (inquit) depositum custodi, deuitans, &c. Cæterum de Traditionibus nullum verbum eo loco videas. Statim enim redit ad disputationem de fide.

Chrysostomus in hunc locum: Depositum custodi. Caue ne minus, nō enim tua sed aliena sunt, quæ seruanda accepisti, &c. De traditionibus autem in tota huius loci explicatione nullum verbum facit. Et obseruabile est, quod de falsi nominis scientia subsistit: Vbi fides non est, (inquit) ne scientia quidem est. Quando aliquid proprijs cogitationibus gignit, scientia nō est. Hæc cōtra Iesuitas & omnes Scholasticos Matæologos totidē fulmina, quot verba sunt.

Tertullianus de præscriptionibus aduersus hæreticos citans hoc dictum acriter pugnat, Apostolos non aliud omnibus, & aliud quibusdā priuatim prædicasse. Et inter cætera dicit, sed nec quia monet illū (Timotheū) HÆC fidelibus hominibus demadare, qui idonei sint & alios docere, id quoq; argumentū occulti alicuius Euangeliū interpretandum est. Nam & cum dicit: HÆC, D E IIS DICIT, D E Q V I B V S IN PRÆSENTI SCRIBEBAT: de occultis autem, ut de absentibus apud conscientiā non HÆC, sed ILLA dixisset, &c. Ecce negat Tertullianus Apostolos alia docuisse occulte, & alia scriptisse. Si Pa-
pistis astipularetur, dixisset, Apostolos quidem vnum & idem omnes docuisse oretenus, sed non omnia scriptis tradidisse.

Augustinus Tractat. 94. in Ioannem, tantum dicit, Spiritum sanctum dandum fuisse Apostolis, ut
c iij charitate

charitate diffusa in cordibus suis , verbum Dei cum fiducia prædicarent,& illo intrinsecus apud eos testimonium perhibente de Christo , ipsi quoque testimonium perhiberent , neque scandalizarentur, cum inimici Iudei absque Synagogis facerent eos & interficerent, &c. Cæterum de traditionibus nō inuenias vnam syllabam in toto tractatu, ac ne quis dem simile aliquid, saltem in speciem. Itaque dubito, an fortassis vel lesuitæ, vel Chalcographi in numeris errauerint.

Vincentius Lyrinensis in huius loci interpretabitione minime delirās, sic scribit: Quid est depositū: Id est, quod tibi creditum est, nō quod à te inuentū: quod accepisti , non quod excogitasti, rem nō ingenuij, sed doctrinæ : non usurpationis priuatae, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non author debes esse, sed custos : non institutor, sed sectator: non dicens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi , catholice fidei Talentum, in uiolatum illibatumq; conserua. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti , aurum redde: nolo mihi pro alijs alia subiicias , nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auris speciem, sed naturam planè. Et mox: Eadem que didicisti doce , vt cum dicas noue , non dicas noua, &c. Vtri secundum hāc Vincentij sententiam depositū custodian, nosne an Iesuite, iudicium pio lectori reslinquimus. Nam quid per publicam traditionē intelligat(qua voce Iesuitæ sibi blandiūtur) cūm præcedentia, tūm sequentia satis declarant: doctrinam nimīrum

nimirū totius Ecclesiæ, seu Talentū catholicæ fidei,
quæ certe nō in ~~is~~^ī traditionib⁹, sed in script⁹
ris fundata est: iuxta illud Apostoli: Superstruct⁹ su⁹
per fundamentum Prophetarū & Apostolorū, sum⁹
mo angulari lapide Iesu Christo. Et illud: Segrega⁹
tus in Euangelion Dei, quod ante promiserat per
Prophetas suos in *SCRIPTVRIS SANCTIS*, de si⁹
lio suo, &c. Et: Hæc *SCRIPTA* sunt, vt credatis, *Iohann⁹*.
quod Iesus est Christus ille filius Dei, & vt credētes
vitam habeatis per nomen eius.

I E S V I T A E.

Nec verò reprehenditur quæcumq; vocum nouitas, sed pro⁹
fana, quæ scilicet ad antiquæ veritati derogandam fidem in⁹
ducitur, cuiusmodi reperitur in vocibus illis: fides historica, iu⁹
stitia imputativa, fiducia, Cœna Dominicæ, terrores conscienc⁹
iæ, & alia quædam, quorum noui Euangelicis Magistris nō
immerito proficiuntur.

III.

R E S P O N S I O.

Non omnē omnis nominis nouitatē deuitādā es⁹
se, vel ex ipso C H R I S T I A N O R V M nomine *Acto⁹*
apparet, quo discipuli primū Antiochiae cognomi⁹
nati fuerūt. Prohibētur igit̄ p̄phanę vocū nouitates,
hoc est, Vincētio Lyrinēsi interprete, quę nihil ha⁹
bēt sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralib⁹, quę
est templū Dei, penitus extraneę, dogmatū, rerū, sen⁹
tentiarū nouitates, quæ sunt vetustati, quæ antiquati
cōtrarie: quę si recipiant, necesse est, vt fides antiqui
simorū patrū (hoc est, Prophetarum & Apostolorū)

aut

aut tota, aut certè magna ex parte violetur. Nouum autem est plane in Christianismo, inter prophanas vocum nouitates numerare voces has, quas à nostris docendi gratia usurpatas lesuitæ nequiter calumnias antur. Et si enim hæ ipsæ syllabæ, quemadmodum nec ~~hæ~~ ~~duo~~ ~~duo~~, in sacris literis reperiantur, res tamen ipsæ clarissimè expressæ sunt. Nonne enim fides his

Iac. 2. storica est, de qua Iacobus dicit: Et Dæmonia crescunt & contremiscunt. Nonne de iustitia imputatis?

Rom. 4. ita loquitur Paulus, cum inquit: Credidit Abraham Deo, & IMPVTATVM est ei ad iustitiam. Et rursus: Porro ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, IMPVTATVR fides sua ad iustitiam. Certe in uno capite 4. ad Romanos verbum IMPVTANDI vndeclies repetitur. Quis autem prohibebit à iustitia quæ imputatur, iustitiam imputatam vel imputatiuam denominare?

Fiducia, nemini nouum vocabulum est, nisi cui fides in Christum ipsa noua est. Quid enim aliud est ~~rebus~~, quam ~~nihil~~ ~~aliquod~~, nisi aliud quam ~~exigere~~? Prophanus Iesuitis nouator erit Christus ipse, cum paraly-

Matth. 9. tico dicit: Confide fili, remittuntur tibi peccata. Nihil enim aliud est, confide, quam fiduciā habe. No-

Heb. 4. uator erit Apostolus ad Hæbreos scribens: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Item fiduciam

2. Cor. 3. (πεισθησαν) huiusmodi habemus per Christū erga Deum. Quid multis opus est? Erasmus in Annotationibus suis in cap. 10. ad Hæbreos & alibi sæpe adfimat, vocem fidei sæpe ponit PRO FIDUCIA. Super. 1. ad Romanos clare inquit: Fidem frequenter sacræ literæ usurpant pro fiducia erga Deū, ut nō multum differat

differat à spe. Budæus Græcæ linguæ vindex strenuissimus, in Comentarijs suis sic scribit: Fides non modo credulitatē, sed & rei compertæ exploratæq; fiduciam significat. Et paulo post: Nos autem fidem rerum diuinarum vocamus, ut Principes Theologi vocarunt ~~πεποθεσιν~~. Illa est vis miraculorum editrix & designatrix, mortis & suppliciorum cōtemptrix, credentium cum credito copulatrix: quæ in cœlum iam propè dixerim cum iustitia remigrasse videtur, si ad normam veritatis paulisper loqui nobis placeat. Hactenus Nouatores, quos si Iesuitæ etiam damnabunt, mox à studiis tanquam obsoleti & exoleti Antiquarij explodentur.

Iam quale piaculum est, Sacramentum Eucharistia, Coenam Dominicam vocare: cum Christum cœnasse cum discipulis Euangelistæ referant. Forfassis etiam Nouatores sunt Euangelistæ, & multò magis Paulus, qui ~~τάνειαν κυρίου~~ mensam Domini vocat. Necq; enim video, cur minus propriè vel minus honorificè dicatur Cœna Domini, quam mensa Domini. Et Pontificij ipsi in Festo Corporis Christi ad hoc Sacramentum accommodant cantilenam de cœna magna.

Terrores conscientiæ, Iesuitis etiam noui sunt, quia hos securissimi hypocrite nondum sunt experti. Metuo aut, ne si quando illos persentiscant, prorsus desperet, & cum Caino dicant: Maior est iniquitas nostra, quam vt veniam mereamur. Quis nō miseretur, Iesuitas saltē ex horis Canonicis, quas demurant, non dīdicisse, qui sint terrores conscientiæ? Nā vel ex solo Psalmo 87. discere potuissent: In me, Gen. 4.
d inquit,

Psal. 72. inquit, transierunt iræ tuae, & TERRORES tui
conturbauerunt me. Verum isti homines, vt absq[ue]
labore, sic etiam absq[ue] terrore viuunt: quia non est
respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.
In labore hominum non sunt: & cum hominibus
non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia: os
pertisunt iniuitate & impietate sua.

Sed vt clarius videoas, quam ab omni nouitate, si
D[omi]n[u]s placet, alieni sint Iesuitæ, ipsum etiam sacro san-
ctum Christi Euangelion illis nouum est: vocant es-
tim nos & h[oc] & alibi pa[ci]f[er]im, notios Evangelicos.
Esther. 3. Sed nos iamdudum ad istas calumnias, tanquam qui
ad Catarrha[ct]as Nili habitant, obsurduimus. Nam
& olim ita res impiorum comparatas fuisse scimus,
vt quotiescumq[ue] Deus quasi accenderet, & homini-
bus patefaceret veritatem suam, quamvis ea non
tantum antiquissima, sed etiam æterna esset, tamen
ab impijs hominibus, & hostibus veritatis recens &
noua diceretur. Sic Aman sanguinis Israëlitici sitis
entissimus, vt Iudeis odium conflaret, eos apud Re-
gem Ahasuerum accusans, populum vocat nouis v-
tentē legibus & Ceremonijs, & insuper Regis scita
Act. 17. contemnentem. Paulus etiam ab Atheniensibus au-
dit, nouorum Deorum annunciator. Et: An nō pos-
sumus, inquiunt, ex te scire, quæ sit ista noua doctri-
na? Eusebius etiam author est, Christianam religio-
nem ab initio contumeliae causa dictam fuisse
peru[er]tu[m], peregrinam & nouam. Eadem hodie nobis à no-
stris Celsis, Porphyrijs & Libanijs obiectiuntur. Nos
aut & causæ bonitate & præclaro integre conscienc-
tia testimonio nos ipsi sustentamus. Persuassimum
enim

enim nobis est, nostram doctrinam, quæ Christi doctrina est, ita non esse nouam, ut eam nobis antiquus dierum, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi monumentis vetustissimis Prophetarum, Evangelistarum, & Apostolorum libris commendarit: quam qui nouitatis arguat, hos ipsos Dei spiritu afflatos vates & legatos & Secretarios Dei, ipsumq; adeo Dei filium, Dominum nostrum Iesum Christum, tanquam nouatores impie & sceleratè traducat.

At verò si nobis Papistarum ~~πενοφωνίας & κανοφωνίας~~ recensere liberet, fortassis aliquot boum tergora nō sufficerent. Quid enim aliud est, tota illa ~~χρεσιμή~~, hoc est, ociosa Theologia, quam Prophanarum & nouitatum & vanitatum vasta quædam & horrenda congeries: cuiusmodi sunt illa: Gratia gratata, & gratia gratum faciens. Meritum de congiuo, & meritum de cōdigno. Fides explicita & implicita; formata & informis. Opus operatum: opus meritorium. Habitus infusus. Entitas, Realitas, Quidditas. Intentio actualis, virtualis, habitualis, attritio & cōtritio. Actus indifferens, Actus elicitus, Actus beatificus, Actus imperatiuus, formaliter & æquiuerso lenter. Volitio & Nolitio absoluta vel cōditionata. Supponens & suppositū, & suppositaliter assumens. Conceptus simplex & quidditatius. Illapsus sanctificatiuus. Notitia appræhensiua & iudicatiua. Dulia & hyperdulia. Satisfactio, Trāsubstantiatio, & sexcenta alia. nomine vel solo monstra timenda suo. Et ne varia nomina officiorum in Pontifícia Ecclesia, variorum item Ordinum discrimina, omnia noue & vanè confusa, persequar, vos iam appello, Iesuite.

d 2 Dicite

Dicite mihi obsecro, an non hęc appellatio sit ~~veri &~~
~~veritatis~~? Adeo ne vobis Christianorum nomen foderet, vt
Iesuitæ appellari malitis quām Christiani? Num
hanc sanctissimi, & cœlestibus, terrestribus atq; in-
feris venerandi nominis prophanationē non exhora-
rescitis? Quorsum ab illo nomen adsciscitis? quem
non nostis, cuius officium, à quo Iesus appellatur, ne-
gatis: cuius verbū vobis est nouum, & cane ac angue
peius exosum: quem deniq; in membris suis Phari-
saico odio insectamini, conspuitis, flagellatis, & in
crucē adactum cupitis. Itāne vobis hoc nomine, qua-
si velo obtento, vestrā hypocrisin, vestrā conseles-
ratam impietatem tegere placet: quod qui nominat,
ab omni iniquitate iubetur discedere. At iamprī-
dem vobis etiam à vulgo larua detracta est, vt pro
Iesuitis, Iesuuitæ & Iebusitæ & Esauitæ dicamini:
quæ, ne vobis semper Nouatores simus, multo anti-
quiora sunt vocabula, quam id quod recens confi-
ctum impudenter vobis tribuitis.

a. Tim. 2.

IESVITÆ.

V. Traditiones autem Ecclesiasticae, præsertim Apostolicae,
Dionys. Ecclesiæ usq; eò necessariæ sunt, vt his sublati nulli sint libri Canonici.
ast, hierarch. c. 1. nullum verbum Dei certò constet, quod parcim in vera intelli-
& cœlest. hierar. gentia saerorum librorum consistit, parim sine scriptura fuie
c. 1. Clemens E. pistola vlt. ad ab Apostolis Ecclesia commendatum: nulla sit, vel incerta Dei
Hieroso. Irenæ. Ecclesia: nulla vel inutilis Christi promissio: nullus Iudex vel
us lib. 3. ca. 2. 3. Regula quæ doctrinam veram ab adulterina discernat: nihil
4. 5. Tertul. lib. deniq; firmum vel ratum, quod vel in credendo vel agendo se-
depraescript. he- quamur.

quamur. His traditionibus, quas Apostolicas diximus, sive ad reti. Vincētius doctrinam, sive ad mores pertineant, & his, quæ sacris literis Lyrin.lib. ante mandata sunt, par pietatis affectus, & par fides & reuerentia citato. Basilius de Spiritu sancto. c.27.29. Epist. scripta non sunt, negari tamen pertinaciter, aut contemni absq; pha. 61.75.76. Augustinus contra Episto. Martinorum c.4. & lib.2. de Baptis. contra Donatist. c.7. & lib.4.c. 24. & lib.5. c.23.26. Chrysost. hom.2. in Epist. ad Thess. & homil.2. de Adā & Eua. & hom. 18. in Epist. ad Heb. Concil. Ephesi. Epist. ad Nestorium. Synodus 7. actione 7. Synodus Trident. sell.4. Decret. de Canonicis scripturis.

RESPONSI.

DE traditionibus multi multa impiè scripsérunt, & cum summa sacrarum diuinitusq; dictatas rum scripturarum contumelia: Sotus cum primis & Hosiis. Sed horum omnium impietates ac blasphemias in magnis & prolixis voluminibus sparsas una pagella superarunt Iesuitæ Dilingenses. Quas mirarer vel animo concipere, vel calamo exarare potuimus tam prodigiosas & stupendas blasphemias, Rabacæ etiam horribiliores: nisi apud Paulū legissem 2.Tim.23 impios Diaboli laqueis captos, & ferarum instar irretitos raptari ab eo ad ipsius voluntatem, ac illum ipsum spiritum efficaciam suam exercere in filiis inscredulitatis. Vide enim mihi, quid Cacus ille ex taro specu per hæc sua mancipia euomat.

1. Sine traditione nullos esse libros Canonicos.
2. Nullum verbum Dei, certo constare.

d 3 3. Nullam

3. Nullam esse, vel incertam Dei Ecclesiam.
4. Nullam esse vel inutilem Christi promissio-
nem.
5. Nullum esse iudicem vel Regulam discernen-
di doctrinam veram & falsam.
6. Nihil esse firmum, quod vel in credendo, vel a-
gendo sequamur.
7. Traditionibus & scripturis parem pietatis af-
fectum, parem fidem & reverentiam deberi.
8. Quamplurima in sacris literis scripta non esse,
quæ si quis neget pertinaciter, aut contemnat, hære-
ticus sit censendus.

Quid autem aliud aduersus homines tam perfisi-
ctæ frontis, tam effrenis linguae, tam impudentis os-
ris dici potest, quam quod aduersus Pelagianos di-
xit Hieronymus: Sententias, inquit, vestras prodic-
disse, superasse est. Pater prima fronte blasphemia,
non necesse habet conuinciri, quod sua statim profes-
sione blasphemium est. Sed tamen heus tu, qui de so-
cietate Iesu gloriaris, cur SCRIPTVRA Sscruta-
ri iussit Christus, non TRADITIONES? Cur omni-
nia quæ præscripta (non quæ tradita) sunt, in nostrâ
doctrinam præscripta esse dicuntur. Cur ad omnem
SCRIPTVRAM Propheticam, sermonem Prophe-
ticum, tanquam traditionem firmorem, attendere
iubemur? Cur sacræ LITERAE (non Traditiones)
dicuntur eruditum reddere ad salutem? Cur omnis
SCRIPTVRA (nō traditio) diuinitus inspirata pre-
dicatur esse utilis ad doctrinam, ad redargutionem,
ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusti-
tia, ut

Hieronym. in
Epist. ad Ctesi-
phonem.

Ioan. 5.

Rom. 15.

a. Pet. 1.

a. Tim. 3.

tia, vt INTEGER sit Dei homo, ad OMNE opus bonum apparatus? Cur toties in nouo testamento repetitur: Secundum scripturas: Quemadmodum scripsitum est: vt impleretur SCRIPTURA, non traditio: Cur Apostoli, cur Christus ipse conciones suas texunt ex scripturis, non ex Traditionibus: Denique cur e cœlo ipso iubemur audire Mosen & Prophetas, hoc est, scripturas MOSIS & Prophetarum: nisi quia SCRIPTURAE tam veteris quam noui testamenti sunt veræ Canonicae, & diuinis miraculis Canonizatae: quia in his ad viuum expressum est verbum Dei: quia in his firmissimè fundata est Ecclesia: quia per has offeruntur nobis omnes promissiones Christi: quia hæ sunt regulæ iudicandarum omnium doctrinarum & Religionum: quia in his omnina firma rataque sunt, quæ vel in credendo vel in agendo sequamur: quia his solis ea pietas, ea fides, ea reuerentia debetur, quæ verbis Domini Dei exercituum debetur: quia in his omnia clarissimè continentur, quæ ad salutem cognitu sunt necessaria: quia denique quod in scripturis non expressè habetur, vel bona & necessaria cōsequentia inde deductur, nullius conscientiam mortali peccato constringere, aut hominem damnationi adiudicare potest. Ab his scripturis, quas tot encomijs, tantisque miraculis Deus ipse ornatas confirmatasque voluit, remittunt nos Iesuitæ ad Traditiones Ecclesiasticas, præsertim Apostolicas. Ad quas obsecro: Num ad eas, quæ cum Prophetica & Apostolica scriptura, cœlestibus testimonijs confirmata, pugnant: Sed contra hanc, nec Apostolus, nec Angelus de Cœlo audiendus est.

Num

Num ad eas, quæ his scripturis sunt consentaneæ? Proferant igitur eas, vt ad scripturam ceu ad Lydiū lapidem exigantur, num verè cum ea conueniat aut pugnēt. Nā vt cuius spiritui, quasuis nobis tra-

Colos. 2. ditiones pro Apostolicis obtrudēti sine iudicio cre-
damus, integrum nobis non est. Iubet enim Paulus

prouidere, ne quis nos seducat aut deprædetur per
inanem deceptionem iuxta TRADITIONEM ho-
minum. Et alibi vetat, ne citò dimoueamur, neque

2. Thess. 2. per spiritum, neque per sermonem, neque per Epis-
tola, tanquam ipsis Apostolis authoribus. Quid?
quod Christiani à Petro redempti dicuntur à vana
conuersatione, quam ex Patrum acceperant TRADITI-

Esa. 33. DITIONE. Et ab Esaiā solus DOMINVS Iudex &
LEGIFER noster esse dicitur. Quod ceu repetens

Iac. 4. Iacobus, vnuſ (inquit) eſt Legiſlator, qui potest fer-

2. Thess. 2. uare & perdere. Quanquam autem alibi Paulus ius-
bet tenere traditiones, quas siue sermone, siue Epis-
tola docuit: tamen nomine traditionum non intel-
ligit traditiones Iesuiticas, nullo scripturarum nixas
testimonia, sed doctrinam testimonij scripturæ co-
firmatam. Nam de istis Iesuiticis traditionibus ad
Gal. 1. Galatas scribit, se tunc Ecclesiam supra modum per-
secutum & depopulatum esse, cum esset vehemen-
ter studiosus paternarum TRADITIONVM.

Itaque in traditionibus, quæ vulgo circumferun-
tur, duo sunt consideranda: vnum est, quæ sint illæ
Apostolorum traditiones, quæ sermone & non scri-
pto posteritati sunt commendatae. Alterum: Si con-
stiterit, eas traditiones esse Apostolicas, consideran-
dum est, cuius sint generis aut conditionis, & quo
consilio

consilio sint traditæ, vel ad tempus tantum, vel ad externam tantum disciplinam: vel num sint eius cōditionis, vt sine ipsarum obseruatione veram & æternam salutem consequi non possimus. Hæc iam-dudum à Præceptoribus nostris in Christo reuerendis, totidem verbis & adiectis aliquot exemplis diligenter & perspicue sunt exposita. Sed Iesuite, quas si ea nunquam viderint, pergunt vociferari, T R ADITIONES, T R A D I T I O N E S, & nullo plane nullarum ~~reputacionis~~ habitu respectu, coaceruant insgentem syluam allegationum ex Patribus, quibus Traditiones nobis commendatas reddere cupiunt. Hæc igitur iam nobis sylua cædenda est, magno quidem nostro tædio, sed fortassis non nullo Lectoris commodo. Quod autem suprà de Patrum authortate præfati sumus, id nunc quoq; tribus verbis præfamur: nos precio emptos, hominum seruos non esse. Vbi tamen à Iesuitis torquantur & deprauentur illorum sententiæ, operæprecium est, sigillatim indicare.

Ac primum quidem Dionysium illum falso disstum Areopagitam nō inuiti Iesuitis relinquimus. Qui author ab emunctæ naris hominibus id solum egisse indicatur, vt non sine ratione insanire videretur. Istius enim cœlestis Hierarchia, non modo multis insultis & Monachalibus nugis referta est, sed etiam multis absurdis commentis & impijis speculationibus scatet. Libri autem de Ecclesiastica Hierarchia, se tum compositos fuisse clamitant, cum iam Ceremoniarum congerie adulterata esset Christianismi puritas. Porro liber de diuinis nominibus, lis-

et quædam non prorsus aspernanda contineat , at
gutias tamen agis spirat , quam solidam pietatem .
Cæterum ijs duobus locis , quos lesuitæ citant , im-
pudenter garrit , Apostolos non omnia scriptis , sed
quædam non scriptis institutionibus , & ARCANIS
SIGNIS tradidisse , præsertim PROPHANAE MVL-
TITUDINIS causa , cui ne ipsa quidem signa fas sit
contingere . Credas h̄ic vel circulatorem quendam
Magum vel Mystagogum Eleusyniorum sacrorum
loqui , qui fas non esse putant , vt mysteria eorum in
vulgus eminant . Tradunt enim qui de Magia scri-
pserunt , eam horrere lucem & revelationem , ama-
re tenebras : tacendo confirmari , efferendo extermi-
nari . Quid autem Paulus : Nihil (inquit) suffugi eos
rum , quæ essent in rem vestram , quin annunciatrem
vobis , & docerem vos PUBLICE AC PER SINGU-
LAS DOMOS , &c . Et rursus : Non subterfugi , quo-
minus annunciatrem vobis OMNE CONSILIVM
Dei . Et iterum : OMNIA ostendi (seu , clarissi-
mè DEMONSTRAVI , *in se*) vobis . Valeant
igitur lesuitæ cum suis occultis occultorum , quæ
Thaumaturgus iste Dionysius studio cælare vos
luit .

Clemens Epistola quinta ad Hierosolymitanam
Ecclesiam , hortatur inter cætera , ne quisquam scri-
pturam pro suo ingenio interpretetur , sed ex scri-
pturis sensum velit capere veritatis . Verba digna
sunt , quæ integrè adscribantur . Relatum (inquit)
est nobis , quod quidam in vestris partibus commo-
rantes , aduersantur sanis doctrinis , & PRO VTEIS
VIDETVR non secundum traditionem patris , sed

iuxta

iuxta SENSUM SVVM DOCERE videntur. Multas enim quidam (vt audimus) vestrarum partium , secundum ingenium hominum ex his quæ legunt , verisimilitudines capiunt , & ideo diligenter obseruandum est , vt lex Dei , cum legitur , non secundum propriam ingenij intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in scripturis diuinis , quæ possunt trahi ad eum sensum , quem sibi unusquisque sponte præsumpsit , sed fieri non oportet. Non enim sensum , quem extrinsecus adulteretis , alienum & extraneum debetis quærere , aut quoquo modo ipsum ex scripturarum auctoritate confirmare . SED EX IPSIS SCRIPTVRIS SENSVM CAPERE VERITATIS. Hactenus nobis non aduersatur Clemens. Sed iam aliquid sequitur , quod Iesuitis suffragari videtur. Et ideo (insquit) oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum , qui eam à maioribus , secundum veritatem sibi traditam , seruauit , vt & ipse possit ea , quæ recte suscepit , competenter assertere. Et paulo post dicit : Vnde consilium dantes vestrarum prudentiam hortanuntur , vt ab Apostolicis regulis non recedatis , &c. Hactenus Clemens. Ego vero libenter sequerer eius interpretationem , qui mihi bona fide recitaret , quomodo Petrus aut Paulus explicuissent dicta scripturæ: quod Clemens (si is fuisset Petri discipulus) facere potuisset. Sed hoc nihil ad Papis tas , qui ex suppositiis scriptis nescio quas futilles traditiones Apostolicarum nomine nobis obtrudunt.

Irenæus lib.3. cap.2. 3. 4.5.6. cum vellet Ecclesiast
e ij horta-

hortari, ne nouis commentis Valentini, Cerdonis, Martianis, &c. fidem adhiberet, monet, ut diligenter attendant, quid doceant ij, qui vel Apostolos ipsos, vel ipsorum successores proximos audierunt. Eorum doctrinam vocat Traditionem. Exempli gratia, quod vnuis sit Deus omnipotens factor cœli & terræ, plasmator hominis, qui induxit Cataclysmum, & totum deniq; Symbolum Apostolorum cap.3. Traditionem appellat. Earum autem Traditionum, quas nobis Papistæ obtrudunt, nulla syllaba facit mentionem. Si autem velint Papistæ fere in speculo contemplari, cum suis fictis traditionibus, audiant eundem Irenæum lib.3. capite 2. (quod caput Iesuitæ etiam allegare ausi sunt) sic dicentem: Cum enim (inquit) ex scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum: quasi non recte habeant, necq; sint ex autoritate, & quia variæ sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas ab his, Q Y I N E S C I A N T T R A D I T I O N E M. Non enim per literas traditam illam, sed per viuam vocem, &c. En vides hæreticis solene fuisse, cum scripturis vrgerentur, eas obscuritatis & ambiguitatis arguere, & ad Traditiones nō scriptas configere: quemadmodum hodie Pontificij ex omnibus hæresibus conflati factitant.

Tertullianus lib. de præscript. aduersus Hæreticos. Age iam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesiæ catholicae, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Episcoporum suis locis præsidentur, apud quas AVTHENTIS CAE LITERAE eorum recitantur sonantes vocem, repræ-

repræsentantes faciē. Et paulo pōst de Romana Ecclēsia, Legem & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis Literis miscer: INDE portat fidem: aqua signat: Spiritu sancto vestit: Eucharistia pascit: martyrium exhortatur: & ita aduersus H A N C I N S T I T U T I O N E M neminem recipit, &c. Vbi nunc manent Jesuitarum traditiones non scriptæ, ex quibus haurire fidem necesse est?

Vincentio Lyrinensi Monacho, et si multum tristare soleant Papistæ, (vt sanè nos quoque non nihil ei tribuimus) tamen ex toto eius (vt ipse met vocat) Cōmonitorio nihil aliud pferre possunt, quām quod ipse summatim his verbis complectitur: hanc fuisse semper & esse hodieq' catholicorum consuetudinem, vt fidem veram duobus ijs modis adprobent: Primum diuini Canonis autoritate: Deinde Ecclesiae catholicæ traditione: **N O N Q Y I A C A N O N S O L V S N O N S I B I A D V N I V E R S A S V F F I C I A T**, sed quia verba diuina pro suo pleriq' arbitratu interpretantes, varias opiniones erroresq' concipient. Atque ideo necesse sit, vt ad vnam E C C L E S I A S T I C I S E N S V S Regulam scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur: in ijs duntaxat preceptuè quæstionibus, quibus totius catholici dogmatis fundamenta nituntur, &c. Quæ si de vera Ecclesia Christi, non Antichristi, hoc est, Papistica, intelligentur: manibus pedibusq' in Vincentij sententiā descendimus: quippe quæ est domus Dei viuentis, 1. Tim. 2. columna & stabilimentum veritatis: vt suprà audiūmus.

Basilio in libro de Sp̄itu sancto Traditionibus
e iij non

non scriptis nimio plus indulgenti, Basiliūm oppo-
nimus, in homilia de Confessione fidei sic scribente.
Si fidelis est Dominus in omnibus sermonibus suis,
fidelia mandata eius, facta in veritate & æquitate:
manifesta est DEFFECTIO A FIDE & superbię cris-
mē, aut reprobare quid ex his, quae scripta sunt, aut
superinducere quid ex NON SCRIPTIS, cum Do-
minus noster Iesu Christus dixerit: Oves meæ vo-
cem meam audient. Hæc Basilius. Qui si cum Iesui-
tis sentiret, non sufficientem esse scripturam, potius
diceret, ea, quæ non sunt scripta, esse fidei augmen-
tum & complementum: quam MANIFESTAM.

Pag. 394. DE FECTIONEM à fide. Græca sic habent. *παρὰ τὴν πίστιν, καὶ ἀπὸ παντὸς τετραγωνίας, οὐδὲ τοῦ τρόπου γραμμῶν,*
τίποτες εἰποῦσι μὴ γραμμῶν. Quid contra Papisticas Tra-
ditiones possit dici vehementius, equidem non vi-
deo. Qui enim Traditionarios à fide excidisse dicit,
cuncta simul peccata dicit. Et certe à fide excidisse,
nihil aliud est, quam ab æterna salute excidisse, & in
æternam damnationem incidisse.

Epi. h. Heret. 9. Sic & Epiphaniū Epiphanio confutamus. Hic
enim Sanctoritas grauiter reprehendit, idem planè
facientes, quod lesuitæ faciunt: Si quis (inquit) ipsis
dicat de Davide & Esaia, & sequentibus Prophetis,
non suscipiunt: sed immorantur Traditioni à pro-
prijs ipsorum Patribus inuestigare. Et rursus contra

Hæret. 42. Martionitas: Ad testimoniorū scripturæ delectio-
nem si quis respexerit, mirabitur magnificas Dei
dispensationes, cum singulæ res per testimonia que-
dam confirmantur ac stabantur. Et ibidem: Quo-
modo hic (Martion) qui profitetur se habere aliquid

Euan-

Evangeliū & Apostoli , non vel pauca scripturæ verba seruare posuit. Prætereo innumera huius scriptoris testimonia , quibus scripturarum perfectiō nem , contra humanarum Tradiōnū vanitatem tuerit.

Augustinus contra Epistolam Manachæi cap. 4. nullo verbo attingit Traditiones Ecclesiæ non scriptas: sed docet, quæ res inter alias eum in gremio veræ Ecclesiæ retineant : nempe cōsensio populorum, authoritas miraculorum, successio sacerdotum à Petro usque ad sua tempora , catholicæ nomen , quod etiā haeretici ipsi suis Conuenticulis adscribere non audeant . Ac negat se Manichæis posse contra hæc credere, promittentibus, sed non exhibentibus veritatem . Quod autem Traditiones non scriptæ tam sint necessariæ, quam eas Iesuitæ fingunt , aut quod par authoritas & fides illis sit adhibenda, nullum vis deas verbum.

Idē de Baptismo contra Donatistas lib. 2. loquens de ea consuetudine, quod ab haereticis baptizati nō essent rebaptizandi: Quam consuetudinem (inquit) credo ex Apostolica Traditione veniente, sicut multa nō inueniuntur in literis eorū, neq; in Cōcilij pōsterorū , & tamen quia custodiuntur per V N I V E R S A M E C C L E S I A M , nō nisi ab ipsis tradita & com mēdata credunt. Hęc Augustinus. Nō autē dicit hoc necessario sentiendū, qui autē aliter sentiāt, neq; scripturā, neq; Christum retinere, vt Iesuitæ nugantur.

Et lib. 4. cap. 24. Quanquam quod vniuersa Ecclesia tenet, nec Concilij institutum sed S E M P E R retentum est , non nisi authoritate Apostolica trā ditum

ditum rectissimè creditur. Verùm Augustinus non nitiit in hoc fundamento, sed tanquam per parenthesis inserit: postea statim accedit ad testimonia scripturæ: neque ullum præterea verbum de traditiōnibus, multò minus de necessitate earum facit.

Et lib. 5. cap. 23. de non repaptizandis hæreticis differēs: Apostoli (inquit) nihil quidem exinde præceperunt, sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordiū sumpsiſſe credenda est, sicut sunt multa, quæ V N I V E R S A tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur. Postea hoc toto capite, sicut nec antea, ullius traditionis nō meminit, neque ea nitiit, neque tantam necessitatē Traditionum constituit, quantam Iesuitæ.

Et eodem lib. cap. 26. Quod autem nos admonet (Cyprianus) ut ad fontem recurramus, id est ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatio-ne faciendum. Traditionum est ergo nobis, sicut ipse commemorat, ab Apostolis quod sit unus Deus, & unus Christus, & una spes, & una fides, & una Ecclesia, & Baptisma unum, &c. Envides quod Augustinus dictum Pauli ad Ephes. 4. vocet Traditionē. Quo maior est impudentia Iesuitarum, qui propter unicū TRADITIONIS vocabulum, hoc dictam insulſe abutinon sunt veriti.

Chrysostomus homil. 4. in Epist. 2. ad Thessalon. (nā hanc Iesuitas allegare voluisse suspicor) enarrās locum illum: Tenete Traditiones, &c. Hinc patet (inquit) quod non omnia per Epistolā tradiderint, sed

sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide digna sunt tam illa quam ista. Itaq; Traditionē quoq; Ecclesiæ fide dignam putamus, &c. Ista omnia tolerari possunt, si quis ea candide interpretetur de ea Traditione, de qua Paulus ipse in textu loquitur, siue per sermonem (inquietens) siue per Epistolā, hoc est, de doctrina Apostolorū vocali, quæ certè cum scriptura nō pugnauit, sed optimè consensit: cùm ex eodem spiritu inspiratae sint & conciones & scriptio-nes Apostolorum. Velim aut̄ Iesuitas proximè prae-cedentem pagellam Chrysostomi diligenter inspec-
re, vbi perspicuitatem & perfectionem scriptura-
rum egregie commendat. Omnia (inquit) clara & Chrysost. hom,
plana sunt ex scripturis diuinis, quæcunq; necessaria, in 2. Thessal.
ria sunt, manifesta sunt. Sed quia deliciatuli estis au-
ditores, delectationem audiendo venantes, propte-
rea & ista (sermocinationes) quæreritis. Nā dic mihi,
quo sermonis strepitū loquitus est Paulus? Et tamē
orbem conuertit. Quo verò Petrus illiteratus? Sed
ignoro, inquis, quæ in diuinis scripturis posita sunt.
Quamobrem? Num. n. Hebraicè? num Latine, num
alio externo idiomate prolata sunt? Nonne Græcè
dicunt? At obscure, inquis: Quæ est ista obscuritas,
dic quælo? Nonne historiæ sunt? Nostī quæ clara
sunt, quid de obscuris rogas? Mirabor equidē, si non
propediē Chrysostomus propter hæc verba à Iesuis-
tis in Catalogum hereticorū referetur. Nam scriptu-
ram etiam Laicis prostituit, hoc est, ut Staphylus
quondam dicebat, Margaritas ante porcos projicit.

Idem Homil. 18. in Epistolam ad Hebreos. Argu-
f menta

mentatus est (inquit) Paulus & ex scripturis & sine scripturis, sed & dictum Propheticum adhibuit, dicens: Quia sacrificium & oblationem noluisti, &c. Respicit autem Chrysostomus ad argumentationem Apostoli, ex communī vīsu hominū petitam, de testamento, quod tum demum ratum est, si mors intercesserit Testatoris. Sed quid hæc faciunt ad stabilendas traditiones Iesuiticas; scilicet id, quod baculus ad angulum.

Idem Chrysostomus in Homilia de Adam & Eva. Profundiores difficilioresq; partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui Hæretici restiterunt, non necesse habemus astruere: quia ad confitendam gratiam Dei, cuius operis dignitati, nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundum Ecclesiasticas Regulas Apostolica scripta nos docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis sententijs esse contrarium, &c. Hic Chrysostomus Traditiones scripturis non antefert, nec æquiparat, sed docet, quod ECCLESIASTICAE REGVLÆ testentur de ihs, que APOSTOLICA SCRIPTA NOS docuerunt. Tales igitur laudat Regulas Ecclesiasticas, quæ scripturis non aduersantur, sed cum ihs congruant, ihsq; testimonium perhibent, & clare affirmat sufficere, si creduntur ea, quæ nos scripta Apostolica docent. Cur igitur multa præter hæc, quæ si ad credendum necessaria Pontificij cabalistæ, nobis obtrudunt?

Ephesinum Concilium Epistola ad Nestorium docet,

docet , non satis esse , si Nicænum Symbolum recis-
tet, non rectè intellectum , nisi ita credat & doceat,
sicut Apostoli & Euangelistæ docuerunt, & sicut
tum in alijs Ecclesijs Orientis & Occidentis ma-
gno consensu docebatur. Agitur autem hic de dog-
matibus , non de Papisticis nugis. Concludunt Pa-
tres Concilij Epistolam illam hoc modo: Hæc sape-
re (inquiunt) edocit̄ sumus, tam à sanctis Apostolis
quam Euangelistis , & ab omni scriptura diuinitus
inspirata, nec non & à beatorum Patrum confessio-
nibus V E R I T A T E S V B N I X I S . Hæc ut Iesu-
tas nihil iuvant , ita nobiscum minimè pugnant.
Imò hinc colligere nobis promptum est , nullas
Traditiones , nullas nullorum Patrum Confessio-
nes recipiendas esse , nisi scripturarum veritate sub-
nitantur.

Synodus Nicæna secunda, quam Græci septimam
generalem appellant , octingentis ferè annis post
natum Christum, Irene Imperatricis iussu, & auspi-
cij coacta, anathemate percellit eos, qui non omnes
Ecclesiasticas Traditiones, siue scripto, siue consues-
tudine valentes & decretas retineat: inter quas nu-
merat etiam imaginum effigurationem & adoratio-
nem. Sed placeat ista Synodus illis, quibus superstis-
tiosissima foemina Irene placet, quibus imaginum i-
dolatrīca adoratio placet , quibus deniq; Ioannis,
Orientalium Legati , vox placet , Papistico certè
Episcopo, imò & Cardinali dignissima : Satius esse
lupanaria omnia in urbem admitti , quam imagi-
num cultum abnegare. Nobis profectio ac pijs omnis-

f ij bus

bus non placet. Atq; olim etiā mox cū celebrata es-
set p̄ijs Imperatoribus & Episcopis, in Occidēte p̄e-
sertim displicuit. Nā contra hanc Pseudosynodū (vt
Regino in Annalibus Francicis vocat) p̄ adorādīs
Imaginib; habitā, & falso septimā vocatam, Caro-
lus Magnus aliam Synodus Francofurti ad Moe-
num indixit: ad quam frequentes coierunt, Galliæ,
Germaniæ & Italîæ Episcopi, adfuerunt etiam Ro-
mani Pōtificis legati, Theophylactus & Stephanus
Episcopi: ibi Acta Græcorum de Imaginib; ado-
randis rescissa, & Pseudosynodus Nicæna commu-
nibus Episcoporum suffragijs damnata est. Cum pris-
mis autem obseruatione dignum est, quod Hincmar-
ius Rhemorum Archiepiscopus volumen non mo-
dicum ab Imperatore Carolo Magno contra istam
septimam Synodum conscriptum, & Romanum mis-
sum fuisse testatur, in cuius voluminis libro 4. hæc
sint scripta: Cum duarum & trium prouinciarum
Præsules in vnum conueniunt, si antiquorum Ca-
nonum institutione muniti, aliquid prædicationis
aut dogmatis instituūt, quod tamen ab antiquorum
Patrum dogmatibus non discrepat, catholicum est
quod faciunt, & fortasse dici potest vniuersale: quo-
niam, quamvis non sit ab vniuersi orbis Præsulibus
actum, tamen ab vniuersorū fide & Traditione non
discrepat: quod crebrò factū in plerisq; mundi par-
tibus quibusdam necessitatibus incumbentibus, iei-
nus. Multa enim Concilia gesta sunt, quorum insti-
tutionibus sancta munitur & roboratur Ecclesia. Si
vero duarum aut trium prouinciarum Præsules in
vnum

Vnum conuenientes , noua quædam statuere cupientes , conuenticula quædam faciunt , quæ non cum vniuersi orbis Ecclesia sentiunt , sed ab ea , quadam ex parte dissentient , non est catholicum quod faciunt , & ideo vniuersale nuncupari nō potest. Omne quod Ecclesiasticum est , catholicum est : & omne quod Catholicum est , vniuersale est. Omne autem quod vniuersale est , prophanis vocum nouitatibus caret. Et si hæc Synodus vocum nouitatibus caret , ac antiquorum Patrum dogmatibus contenta esset , vniuersalis dici poterat. Non autem antiquorum Patrum dogmatibus contenta est : non igitur vniuersalis dici potest. Vniuersalem plane eandem Synodum non cunctaremur profiteri , nisi eam vniuersalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refras gari. Hæc Carolus. En pie Lector , quanto rectius Imperator , homo laicus & militaris , de Religione , de fide , de Traditionibus , de Ecclesia Catholica , de Synodis vniuersalibus , senserit , quām & olim Episcopi Græci mendaces , & hodie Iesuitæ mendacissimi simul atque impiissimi sen tinent.

Ventum erat ad finem Iesuitarum allegatio num , nisi in extrema clausula ceu auctarij vice ad iecissent decretum quoddam Synodi Tridentinæ , quo statuitur , vt Ecclesia libros vtriusq; testamenti scriptos , & sine scripto Traditiones pari pietatis affectu , & pari reverentia suscipiat atque veneretur. Putas ne autem , pie Lector , aliquid pudoris in animo vel ruboris in vultu Iesuitarum superesse , qui

conciliabulum Tridentinum, tanquam probatæ fidei, & indubitatæ authoritatis Synodum in re maximi momenti, non verentur in testimonium adducere? At qualis illa fuerit colluvies, lippis ac tonsoribus notum est. Certe istud, si omnino ita appellare libet, Concilium, nec ab omnibus Romani Imperij ordinibus adprobatum, nec loco commodo & oportuno celebratum est. Quis autem in eo præsedit, nisi Antichristus, & Antichristi satellites? quales nam homines, Deus bonus? Iudices ipsis & rei: & rei atrocissimorum criminum, idolatriæ, blasphemiae, magia, fraude, mendaciorum, sacrilegiorum, & aliorum scelerum, rei denique laesæ Maiestatis diuinæ, & spretæ Maiestatis Cæsareæ. Horum ne hominum placita nos sequi vultis lesuitæ, qui nulli bono viro unquam placuerunt: horum ne respectus aliquis habendus est, qui ipso solis aspectu indigni sunt: potestis ne Annae & Caiaphæ Concilium vituperare, & laudare Tridentinum: cum in illo persona Christi, in hoc fides Christi solenniter sint damnata. Quid enim est aliud, anathemati subiçere eum, qui absqueulla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis peccata sibi remissa esse certò credat: quid, inquam, aliud est, quam fidem Christianam semel & simul totam anathemate ferire: & Symbolum Apostolorum, quo remissionem peccatorum credere nos profitemur, & Orationem Dominicam, qua eandem quotidie petimus, & Sacra menta, quibus de hac

nos

nos certius confirmamus , & vniuersim totum Euangelion , verbum reconciliationis , deuouere atque condemnare ? Quid autem aliud est , Traditiones non scriptas pari pietate & veneracione suscipiendas præcipere , qua scripturas sacras : quam Christum mendacij arguere , dicentem : Frustra colunt me , docentes doctrinas , præcepta hominum . Quid est totam religionem Christianam abolere , si hoc non est : quando certa de Deo persuasio , & vnde hæc concipitur , scriptura diuina conuellitur . Itaque cum multa in temerarijs suis assertionibus impudenter scripsere Iesuitæ : tum hoc impudentissime , quod propter Tridentinæ coitionis decretum , non inferiore loco sint habendæ Traditiones , quam ipsi sacraz runi scripturarum libri Canonici . Hæc videlicet sunt pigmenta & Myrothecia religionis Christianæ . Hæc Deo viuenti grata & accepta sunt : hæc oportuit in honorem venire , ut Christi & Apostolorum doctrina tolleretur . Nos ex verbo Dei in scripturis expresso fidem alimus , ex illo spem erigimus , ex illo fiduciam firmamus . Vos id tanquam lucernam , ad quam fur depræhenditur , ita fugitis , vt latro crucem . Cur enim scripturas supermitis , quas literis consignatas Deus voluit , quas ex saeuis Tyrannorum incendijs toties eripuit ? Cur Euangelion occultatis , quod Christus de tecto sonare iussit ? Cur illud lumen absconditis sub mōdio , quod stare oportuit in candelabro ? Cur impenitæ multitudinis cæcitate atque inscitia magis ,

Matth. 15.

quam

quām causæ bonitati confiditis. Suspecta certè non videri non potest , ea causa, quæ lucem verbi Dei horret , quæ examen scripturarum fugitat, quæ incertas Traditiones hominum certæ doctrinæ filij Dei præfert, & quosuis potius audiri vult quām illum, quem Pater clara voce de cœlo sonante audiri præcipit. Quod si semel statuistis religionem vniuersam extinguiere, agite , libros sacros comportari iubete, pyras struite, rogos accendite, perscrutamini ædes singulas, inquirite cistas, angulos omnes eueritate, rapite , trahite , in flamas proiecite scripturas innoxias , sed vobis solis noxias & impietati vestræ detrimetos : cineres quoque, ne quid vobis inde restet periculi, in profluëtem fundite, & quod Vulcano superfuit, Neptuno consecrate , denique nihil omittite eorum , quæ Antiochus non tam nomine quām scelere nobilis & iniquarivs patrauit. Nos interea furores vestros ridebimus, nec alios ignes aut gladios in vos expediemus, quām scripturas:has vobis faces adhibebimus, his vos vremus , his torquebimus, his excarnificabimus , his vos, quocunque pedem tuleritis, ita exagitabimus, vt vbi tuto cōsistere possitis, non sitis inuenturi.

Et hactenus quidem priorem D. Pauli ad Timotheum Epistolam à Iesuitarum sordibus, Deo iuuante repurgauimus: & qua religione homines isti scripturas tractent, qua fide scriptores Ecclesiasticos citent, ostendimus. Restabat, vt eorundem Theses de Missa, quas viginti numero, ad calcem libelli sui adiecerunt, confutaremus. Sed ne actum agere videamus,

mur studiosum lectorem ablegamus ad libros Res
uerendi viri D. Valentini Vannij Abbatis Maul-
bronnensis , quos de Missa diligenter & copiose
scriptos in lucem ædidit : quibus in hoc genere scri-
pti nihil extat perfectius . Cumq[ue] hos ipsos libros
in latinam linguam conuersos Amplissimo Cardi-
nali Truccelio Dilingensium Iesuitarum Mœcenati ,
non ita pridem dedicauerit , latere Iesuitas non po-
sunt . Adiçere autem his aliquid , antequam aduers-
arij ad illos respondeant , hominis esset tempore
abutentis & papyro . Missam igitur nunc faciamus
Missam : & oremus Dominum , vt vltimum suum
Testamentum , morte Crucis confirmatum , tum
contra πλειοναῖς Iesuitas , tum contra omnes falsa-
rios Sacramentiperdas integrum & incorruptum
apud nos conseruet , vsque ad diem glorioſi aduen-
tus sui , quando nos in plenam & quietam possessio-
nem honorum illo suo Testamento legatorum im-
mittet , & illuc collocabit , ubi nec per fraudes calum-
niasq[ue] deprauari , nec sacrilegè interuerti , nec vel
dolo vel vi nobis eripi poterunt ea , quæ sua nobis
morte Christus peperit , quæq[ue] in se credentis
bus promisit , & omnibus aduentum
suum diligentibus præpa-
rauit . A M E N .

F I N I S .

8 *Ermia*

Errata sic corrigo.

Pag. 14, lin. 3, lege, existimemus 17. 26. Oggannire, 20. 28.
 Ephesi. 46. 28. Acesij. 48. 22. iniustitia. 50. 15. ocio se. 77. 20.
 dele inutile. ibidem, 21. inutile. 86. 15. effent. 89. 2. Hermetis.
 ibidem 6. præcipientis. 115. 15. exactioris. 123. 14. Diaconisse.
 129. 1. sustinent. ibidem, 11. hoc loco. 147. 27. maulcantur. 197.
 30. Quod si, 217. 18. torqueantur.



TUBINGÆ,
Apud viduam Ulrici Morhardi.
Anno 1566.

OCN 43114405



APRVSU P

BRUNELLA IS IN THE LIBRARY OF THE

STATE OF ILLINOIS